UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima

Martini, Martino

Monachii, 1658

Liber Septimvs De imperante Familia Hana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

Visual Library

MARTINI MARTINII
è Societate Jesu,
SINICÆ HISTORIÆ
LIBER SEPTIMUS
De imperante Familia HANA.

PRIMUS IMPERATOR
LIEUPANGUS sive CAOZUUS.
Imperavit annis XII.

Cyclo 42. annus 32. ante Christum 206.

EOdem anno, quo séque & imperium INGUS LIEUPANGO tradidit, HANÆ familæ statuerunt initium Sinenses historici. Etsi verò LIEUPANGUS universum occupaverat imperium; CIN rex tamen potiùs haberi voluit, quàm Imperator. Quam appellationem postea primùm admisit, à suis ad hoc persuasus, ut narrabo.

INGUS ergo Imperator postquam dies sex tantùm & quadraginta rebus præfuit; acceptâ superiori clade, auditóque LIEUPANGUM ad regiam urbem rectà victorem exercitum ducere, cùm viros ad obsistendum ei deessent, pejora more gentis atque adeò mortem timens, clementiam voluit victoris experiri. Collo igitur in funem inserto, imperatorium sigillum & insignia reliqua ferens, & curru, quem albi trahebant equi, quod tristitiæ ac luctûs signum est, vectus, obviàm LIEUPANGO procedit. Ubi prope illum fuit, è curru descendens eúmque veneratus, cum imperatorijs insignibus imperium, quod non habebat, ei tradit, & in regiam urbem invitavit, solam ab se mortem deprecans. Vilissimus Imperator, qui quadraginta sex tantùm dies imperârit, & se tam ignominiosè abjiciens ac supplex ad subditum rebellem venerit.

Magna victi Imperatoris abjectio.

Ejus vitam victor servat.

Victoris exercitûs duces ferè omnes LIEUPANGO suadebant, ut occideretur. Quos ille non modò non audijt, sed à quavis etiam aliâ injuriâ eos abstinere jussit, HOEIUS Zu *rex idemque noster me adhibuit,*

hibuit, inquit, *ut suis auspicijs occuparem imperium*, CIN *regnum promittens præmium victoriæ*. *Quod autem ante alios uti voluit meâ potissimùm operâ, perspecta ei magnanimitas & ad misericordiam propensio meâ fecit. Hac die, quâ nulla felicior illuxit mihi, tandem ad exitum feliciter adduxi rem, in quâ velut in cardine consilia* ZUI *regis & mea vestráque movebantur omnia. Vultis igitur hanc felicissimam lucem à me sanguine contaminari? sanguine insontis, qui seipsum ultro mihi tradidit? Meliora, Calum! nec ego me in tantum odi, ac despicio, uti eadem patiar esse mei principatûs auspicium, sine dubio infelicissimum.* Hac oratione mollitis ducum animis, INGUM comiter acceptum secum in urbem regiam deduxit. Tunc HIENYANG nobilissimam urbem militibus suis diripiendam permisit, sed hactenus, ut neminem unum interficerent, aut offenderent, vel graviori aliquâ injuriâ afficerent; severâ pœnâ constitutâ peccantibus. Ingentes in urbe locupletissimâ repertæ sunt opes. Unus SIAOHOUS, vir consultissimus, qui apud LIEUPANGUM erat in honore & in pretio, præclaram ante omnes prædam fecit. Nam cùm litterarum esset amantissimus, spretis divitijs omnibus, quæ in manu ejus erant, muséum summi magistratûs ingressus, inde tabulas imperij geographicas & libros, in quibus particulatim omnia provinciarum peculiaria, & munitiora loca, reditus, & hominum numerus accuratissimè repræsentebantur, secum abstulit atque servavit. Ex his deinde LIEUPANGUM omnem imperij statum adeò scienter edocuit, ut omnes, & præcipuè LIEUPANGUS admiraretur, unde tanta rerum ei notitia. Quoties de re aliquâ in medium consulebatur; egregia semper ejus in loquendo prudentia, gravitas & constantia dictorum enituit. Quem proin Imperator honoribus ac divitijs auxit amplioribus, quàm si civitatis unius gazam omnem solus acquisivisset; ditior è libris unus, quàm milites omnes è prædis.

Docta præda.

Palatium Imperatoris LIEUPANGUS sibi sepositum & intactum esse præceperat. Quod ingressus ubi primùm illius magnificentiam, rerum omnium elegantiam, copiam ac splendorem vidit, equorúmque, servorum & mulierum decorem ac multitudinem; ijs omnibus captus inibi sedem figere decrevit, præter CIN regnum ejúsque delitias nihil expetens. Sed FANYUAIUS Præfectus, ut ad exercitum rediret, suasit, inibíque consedendi consilium penitùs damnavit. *Hæc enim, quæ tu tantopere miraris*, inquit, *& imperium ipsum quibus rebus perdidit* CINA *familia, quàm quòd in illis conquirendis illius Imperato-*

Quies & luxus regi dissuasus.

res nimij fuere? luxuries ac prodigentia eis exitio fuit. An non, ô rex, quorum imitere facta, eorum perhorresces exitum? rogo te atque oro, ut intempestivas voluptates aspernatus quamprimùm ad exercitum redeas, cœptique belli gloriam propages. Quis impetus aut ignavia potiùs adeò te fascinavit, ut, cùm possis imperare, tantùm regnare velis? Malè metuo, ne imperium, quo jam potiris, relinquens, etiam regnum, quod tam efflictim amas, amittas. Si me non audis; pro certo habeas felicitatem tuam ad metam venisse. Respuit LIEUPANGUS salutare consilium; &, ut erat mollis & voluptuarius, partis frui, quæ sibi sufficere videbantur, deliberatum habuit, neque ex urbe discessit. FANYUNIUS, ubi nil profecit, CHANGLEANGUM monet. Ex hoc LIEUPANGI spiritus pendebat, nec alium impensiùs venerabatur. Hunc igitur adiens CHANGLEANGUS affatur in hunc modum. *Vicisti tu quidem* CINAM *familiam, & ad hunc gradum ascendisti; sed, si verum fateri licet, in illâ solida virtus exstincta materiam tuis laudibus atque initium dedit. Tu potissimùm electus es à Cælo, ut illius luxum castigares familiæ totius interitu. Vide, quæso, quid agas modò; &, ne ob eandem causam à Cælo deserare, etiam atque etiam cave. Simplicitas est amanda tibi, & in omnibus rebus moderatio. Qui malos punire vis, ipse malus esse non debes. Vix* CIN *regnum obtinuisti; & tam citò modestiam dedisces. Cinæ familiæ luxuriem & vitia nondum bene sepulta denuo vis in orbis exitium excitare? Non tibi venit in mentem, hæc, queis ita caperis, esse, quæ* KIEUIS, *quæ* CHEUIS, *quæ sævissimis tyrannis ac regibus ad infanda facta faces admoverint? hæc esse, queis occæcati reges fidorum amicorum spernant consilia? Exemplum hujus calamitatis, si desint alia, cogimur in te abominari, qui modò sanctissimum* FANQUEII *consilium contemnis. Sed nimirum quemadmodum veneni amaritudo morbum magis incendit; ita salubris consilij contemtus malorum facinorum indignitatem auget. Audi, obsecro, monentem* FANQUEIUM, *tibi fidissimum. Sectantem voluptates pœna multis experta, salutaris monitis patientem certum præmium manet imperium.* Non est ausus ampliùs CHANGLEANGO LIEUPANGUS obsistere; relictisque delitijs & urbe tandem revertit in castra.

Non multò pòst ad eum venére legati à CINI regni singulis civitatibus missi, cunctis in ejus fidem & obsequium sponte concedentibus. Quos omnes benignè LIEUPANGUS exceptos vocatósque in concionem, primò dictis ad abstergendum novæ dominationis timorem

rem accommodatis mulcet, ac bono animo esse jubet. *Scio enim vos*, ajebat, *tyrannicarum* CINÆ *familiæ legum onere pressos gemuisse. Nunc respirandi tempus adest, postquam Cælum per me vobis quietem, quæq; hanc consequuntur, indulsit. Quamobrem ex hac die, quas iniquè familia* CINA *sanxit, in perpetuum antiquatæ leges sunto. Et quia primus inter* ZU *regis duces imperatoriâ urbe potitus sum, ex promisso regnum* CIN *mihi cedit; ego ita vobis imperabo, ut patrem vobis obtigisse lætaturi sitis. Iræ meæ nullius parentabo sanguine, nisi qui prior homicidio manus polluerit. Qui verò alienæ rapuerit, vel aliud alteri damnum intulerit; pro gravitate delicti pœnas dabit, sic tamen, ut semper adsit modus. Tributorum exactio ea erit, quæ sub bonis Imperatoribus fuit. Ante omnia Præfectos optimos vobis & magistratus dabo, qui horum curam sedulò habeant.* His dictis lætos domum dimisit. Et profectò hac modestiâ ac benevolentiâ magnam ab omnibus gratiam inijt, famâ eum ut pium regem ubique differente. Unde sine vi ullâ totum CIN regnum pronum habuit ad obedientiam; eáque propter maximè pòst ad imperij culmen pervénit.

Postquam accepit HIANGYUS, jam confeciſse rem LIEUPANGUM æmulum ſuum, ac primum CIN regnum occupaviſſe; invidiâ ſimul & irâ, ſuprà quàm dici poteſt, efferbuit. Jámque contra LIEUPANGUM arma movit. Angebat illum ea res vehementer. Sciebat HIANGYUM turbulentiſſimi ac ferocis ingenij eſſe. Noverat ejus in pugnando fortitudinem, & militum numero haud paulò majorem. Quare aperto Marte cum illo decertare non auſus, tantùm ad cuſtodiendas vallis HANÆ fauces militum manum mittit. At mox adeſt HIANGYUS, impoſitum præſidium fundit, & eodem impetu ad regiam uſque tendit, ipſum LIEUPANGUM in caſtris extra urbem morantem invaſurus. Non deerant ex HIANGYI ducibus, qui ultro currenti ſtimulos adderent; quos inter FANCENUS, eum ſic affatur. LIEUPANGUS *ante hoc tempus in minore fortunâ divitias ac colores (per colores Sinæ venerem intelligunt) amabat. Nunc omnium horum affluenter compos, ab eis est abalienatus fastidio nobis, nisi cavemus, persculoso. Nihil jam parvum, nihil mediocre meditatur. Mihi quidem suspecta est hæc illius moderatio. Profectò enim non modò regnum* CIN *affectat, sed imperium. Majores, quàm aliàs unquam spiritus præ se fert, animúmque dignum imperio. Cave, ne evadat; sed quamprimùm in eum irrumpe. Viribus & militum numero superiores*

Color pro venere sumitur à Sinis.

sumus. Age vocantem fortunam sequere. LIEUPANGI *omnia unà cum imperio te victorem exspectant.* Facilè fuit, persuadere in eam cogitationem toto pectore incumbenti. Quare militibus edixit, ut corpora curarent, & se ad prœlium accingerent, summo manè ineundum. *Agite fortiter, commilitones*, ajebat; *ditissimus exercitus in spolium vobis esto.* Dum hæc inter HIANGYUUM FANCENÚMque tractantur; aderat HIANGYUI pater, HIANGPEUS nomine, cui vetus erat cum CHANGLEANGO amicitia intimóque usu firmata. Hunc igitur silentio noctis LIEUPANGI castra subiens HIANGPEUS amicus amicum consalutat. Ac licet HIANGYUUM timeret LIEUPANGUS, nihil hamen hostile movebat, ne primus cœptâsse bellum videretur. Sed HIANGPEUS amicum de posteræ lucis prœlio commonefactum rogat, ut sibi suísque rebus consulens, deserto LIEUPANGO se subducat instanti periculo. Tum egregia erga ducem suum CHANGLEANGI fides enituit. Nam etsi periculum erat evidens; induci tamen haud potuit, ut ab eo desciscceret. Amico autem in hunc modum respondit. *Ego, quia* CINA *familia regem* HANUM, *cui subditus eram, acerbè vexavit ac delevit; idcirco* LIEUPANGUM *secutus sum, atque in Imperatorem instigavi, ut excidium regni vindicarem ac regis mei. Obtinui, quod optabam. Et* HAN *novum regem habet, &* CINA *familia devicta; quod utrumque* LIEUPANGO *debeo, tantíque beneficij magnitudinem quantocunque possum, constanti quidem obsequio compensare certum est mihi. Neque committam, ut, quem secutus adhuc sum prosperâ utentem fortunâ, nunc periclitantem deseram. Vel vincam cum illo, vel moriar.* Hæc locutus HIANGPEO persuasit insuper, ut & LIEUPANGUM salutaret. Qui comiter eum excepit, apparatóque splendido convivio inter colloquendum lætior, HIANGPEI filiam uxorem petijt, promittens illam reginam fore. Tum ipsum affatus, *Ego*, inquit, *Imperatore simul & urbe regiâ in potestatem meam redactâ, cùm multam possem praedam facere, meos exercitus opibus augere; nolui tamen uti jure belli, quoad liqueret mihi, quid* ZUUS *rex noster in eâ re fieri vellet. E diverso filius tuus, quacunque transibat, nihil intactum relinquere; thesauros, annonam, omnia compilare; selectissimos quosque milites sibi subjicere. Hinc pronum ei fuit, collocatum ad defensionem vallis praesidium fundere. Sed hac de re jam non expostulo; bene an secus egerit, tuum judicium esto. Tantùm hoc;* ZUI *regis copias ejusdem copijs vexare atque occidere, minimè fas nobis est, neque adeò convenit. Nisi*

longè

longè à fide, quam ducibus debemus, velimus recedere atque omnem humanitatem exuere; abstinendum nobis est à parricidio. Quo enim alio nomine appellem, si nos ipsos, si fratres nostros occidimus? Fratres certè sumus unius regni, unius regis subditi. Cur nos ipsos imus perditum? Ego sanè regnum CIN *haud ambio; penes* ZUUM *regem nostrum erit, illi, quem voluerit, imponere. Illo jubente, filio tuo libenter cedam. De hac animi mei sententiâ, de ceteris item, quæ modò breviter pro bono publico disserui, quæso te, filium edoce; quem longè ab his diversa meditari scio.* HIANGPEUS se hoc facturum promittit. Præterea inter eos ita convénit, ut LIEUPANGUS summo manè adesset HIANGII salutandi specie; se enim filio adstiturum & pro LIEUPANGO acturum.

HIANGPEUS ergo cùm ad filium venisset; *Quid incœptas*, inquit, *aut quæ nova misces & concitas mala? hominem, de republ. optimè meritum, qui devicit Imperatorem, nostríque regis ulciscendi causâ hostes profligavit, regis nostri subditum bello petis? id verò injustissimum est; nec Cælo nec hominibus nec* ZUO *regi gratum. Hoc magis consuadeam, ut firmata, quæ cum eo nobis diu jam intercedit, amicitiâ, tractes eum amicè, atque, ut decet, tantum virum excipias.* Hæc talia loquentem intercepit nuntius, adesse LIEUPANGUM, non nisi centum equitum turmâ stipatum. Nec mora, & ex composito, & more Sinico tanquam æqualis HIANGYUM invisit, dissimulatâ prudenter utrinque simultate. Nam HIANGYUS hac LIEUPANGI comitate victus ac delinitus, odijs repentè positis omnem ex animo ferociam abstersit & hospitem magnifico splendidóque convivio tractatum per dies aliquot apud se detinuit. In quâ re utrum magis mirer, fiduciam LIEUPANGI, ac HIANGYI mutationem, nescio. Ille audacter æmulum animíque præferocem ultro convenit; hic cùm in potestate habet & inimicum, è quo jamjam petiturus erat ultionem armis, & regnum, quod eisdem ambibat, utriusque rei perficiendæ occasionem sponte obviàm negligit, ex hoste paulò antè sempiterno repentè summus amicus. Nimirum hoc LIEUPANGO secunda fortuna tribuit, nato ad imperium.

Exactis salutationis diebus cum LIEUPANGO urbem regiam ingreditur HIANGYUS, eámque, vindictâ & odio, quo res CINÆ familiæ persequebatur ardens, nullâ nobilitatis aut amplitudinis habitâ ratione, inflammari incendíque jubet; ipse palatio subjiciens ignem. Incendium usquequaque diffusum tres ipsos menses traxisse scribunt. *Victoris furor.*

scribunt. Deinde CINÆ familiæ sepulchra effodit, cadaveráque & ossa in cineres redacta, per avia saltuum spargi jussit. INGUM Imperatorem, qui apud LIEUPANGUM liberaliter tractabatur, ipse suâ manu obtruncavit; opes quantascunque potuit, concubinas & res palatij reliquas compilavit, atque ita expletâ irâ Orientis plagas, unde venerat, repetijt; intacto LIEUPANGO, qui spectabat hæc omnia dissimulanter, ne superbum animum irritaret, meliorem agendæ rei suæ occasionem opperiens. HIANGYUS autem, cùm esset in itinere, insigne crudelitatis exemplum edidit. Nam cùm audijsset eos milites, qui ad ipsum defecerant, indignari CHANGTANIO, ac de nobilissimâ urbe exustâ effossisque sepulchris præcipuè conqueri, dolosè malitioséque priùs exarmatos & à reliquo exercitu circumdatos ad unum omnes trucidavit. Ducenta hominum millia fuisse reperio. Hinc in omnium incurrit odium, crudelissimum facinus detestantium. LIEUPANGUS contrà comitate, benignitate, justitiâ & æquitate omnium animos atque amorem sibi demeruit. Quæ res imperium illi peperit; HIANGYO verò ferocientis animi vecordia & odium vitam abstulit, ut in loco memorabo.

Ingens crudelitas.

Dum progreditur Orientem versùs HIANGYUS, aliud crudelitatis ac vesaniæ reliquit exemplum. Nam illius Præfecti videntes, quàm non è re suâ fecisset provinciam XENSI LIEUPANGO cedens; ut maneret eámque sibi servaret, suadebant. In his HANSENIUS sic eum alloquebatur. *Provincia* XENSI *fertilissima est ac potens, fortissimorúmque militum ac plurimorum semper altrix, annonâ & alimentis circumfluens atque abundans; ab hostium incursionibus tutissima, hinc montibus, inde fluvio clausa, & ad reliquas provincias debellandas peropportuna. Hanc talem, quæso, tibi serva, nec eam amulo præsertim tuo cede; qui si potiretur ejus, à te potiùs esset expellendus, ne dum jam admittendus, hoc est, in te armandus.* Sed HIANGYUS, cui præter arma nihil placebat, eum irridens, *Vrbs maxima*, inquit, *tota conflagravit, palatium in cineres redactum, opes & quidquid in eâ pretiosum, ablatum est. Quid agam in paupere provincia, non video. Nec enim divitiæ redeunt, unde semel abiere; haud magis certè, quàm vetus ac lacera vestis renovari potest.* HANSENIUS stolidum respon-

Proverbium.

sum excipiens, *Nunc verò, quod est in proverbio, rectè dicit comperio Zu regni incolas simias, non viros esse, qui non rebus ipsis, sed rerum specie tantùm ac ludicris delectentur, haud intelligentes vera consilia.*

Quo

Quo audito HIANGYUS iræ impotens vivum exuri jussit HANSINIUM.

Post iniquam cædem ad HOAIUM Zu regem legatos mittit, scisscitatum, quænam illius esset circa CIN regnum sententia, cuinam illud traderet? simul, an ipse vellet, rogans. HOAIUS promissi memor scribit ad eum litteras, queîs regem declarat, qui primus regiam occupâsset urbem, LIEUPANGUM. Tum HIANGYUS, ut & æmulum exueret regno, & regi suo persuaderet, ut CIN regnum sibi retineret, unde invadendi LIEUPANGI esset occasio; HOIEUM regem, Sinarum Imperatorem pronuntiat decernítque, ut ab omnibus pro eo habeatur. At enim HOIEUS suo contentus, noluit reliquos turbare reges. Itaque HIANGYUS & ab hac spe frustratus in suum regem perniciem machinatur; & postquam ab illo sibi Zu regnum non tradebatur, interfecto rege sibi subigere statuit. Interim tamen, dum facinori perpetrando commodum tempus affulgeret & occasio; subditum se illius simulat, &, ut anteà, regijs mandatis obnoxiũ, Ad hoc, antequam XENSI provinciâ omnino exiret, ad LIEUPANGUM certos homines mittit, qui significarent Zu regem cessisse quidem illi regnum CIN, sed hactenus tantùm, ut provinciæ XENSI partes ab Occidente propiores essent in ejus ditione. Quare, ut reliquis cederet, jubebat; alioqui persecuturum se jus suum. Ea res LIEUPANGI ánimum vehementer exasperavit; jámque in HIANGYUM moturus erat, nec exercitu nec robore impar, & ad hoc à compluribus Præfectis incitabatur. Intercessit tamen præcipiti consilo SINOHOUS, &, *Est hæc quidem*, inquit, *ab homine turbulentissimo profecta in te injuria; sed quæ nihil officiat dignitati tuæ. Sententia mea fert, ut & hanc & ceteras animi æquitate vincas. Cernis* HIANGYUM *apud omnes laborare contemptu, fierique minoris in dies; te contrà diligi ab omnibus, ac continuò crescere. Augebis hanc felicitatem non mediocriter, si & modò illi decesseris; ac tantò certiùs Imperatoris optimi cognomen adhærebit tibi, quantò minùs avidus eris imperandi. Fuit hic semper magnorum regum & magna meditantium mos ac modus, ut impios pietate, superbos moderatione vincerent. Meminisse te velim, parvam iram magna sæpe negotia intervertisse. In summâ igitur hoc suadeo, ut à bello desistas, neque tam funestis initijs populum vexes. Quin potiùs exosi nomen armorum, paci studeamus & leges inducamus, queîs relictæ nobis terræ optimo publico gubernentur. Regnum, quod tenes, satis potens, satis*

validum est ad occupandum orbis imperium, si bene regatur. Salubrè consilium secutus LIEUPANGUS repetundis in præsens supersedens, reliquarum terrarum rex SIAOHOUM Colaum suum facit, jubétque regnum ordinare. Quod ille sanè præstitit impensè, novóque regimine ac legibus inductis adeò potens opulentúmque regnum effecit, ut postea LIEUPANGO vires ad omnem Sinam subjugandam suffecerint.

HIANGYUS autem neque hac modestiâ pacatus, nihil non egit, ut LIEUPANGUM vel inquietaret, vel ad bellum lacesseret. At ubi vidit omnia sibi consilia & artes parùm contra illum procedere; CHANGLEANGO culpam attribuit. Et hunc quia tenere, quod optabat, haud poterat; CHINGUM HAN regem, cui subditus erat CHANGLEANGUS, agitare cœpit. Hæc illo machinante, CHANGLEANGUS rerum omnium ignarus, à LIEUPANGO veniam expetijt domum atque ad regem suum redeundi. Quippe hac solùm de causâ LIEUPANGUM secutus erat, ut regnum, è quo erat oriundus, pristino nitori, quomodocunque posset, restitueret, deletâ CINA familiâ. Vix eò pervenerat, cùm HIANGYUS in HAN regnum impressione factâ, CHINGUM regem capit ac trucidat, illud potissimùm criminatus, quòd clientem suum ad LIEUPANGUM contra se ire permiserit. CHANGLEANGUS audito se necati regis causam esse, pro quo tantum laboraverat; abjectâ cunctatione ad LIEUPANGUM redijt, iram HIANGYI defugiens, magno LIEUPANGI bono. Nam à CHANGLEANGO adjutus & HIANGYUM debellavit, & imperium postea universum obtinuit, ut infrà docebimus.

Cyclo 42. anno 30. ante Christum 204. Quinque Planetarum concursus.

Memorant Sinenses historici, ante vulgarem Christi epocham anno ducentesimo quarto sub initium anni quinque Planetas in loco sideris, quod CINA vocant, concurrisse. Quæ conjunctio modò ab initio Cancri usque ad Leonis initium extenditur. Veráne an ficta fuerit ea observatio, non disputo. Nam ad calculos hæc subtiliter revocandi non fuit tempus mihi. Facient hoc lectores mei, queîs studium in ista curiosiùs inquirendi. Fortasse à Mathematicis Sinensibus conficta fuit, LIEUPANGI gratiam aucupantibus. Nam ex eorum placitis hujusmodi siderum concursus promittit novum Imperatorem Sinas occupaturum, qui Sinicum imperium obtineat justè pariter ac regat.

Ceterùm provinciæ XENSI partem illam, quæ propiùs Orientem spectat, quam, ut diximus, HIANGYUS à LIEUPANGI regno avulserat,

avulserat, tribus Præfectis, creatis à se Regulis divisit. Tribus unum nomen CIN erat. Primus CHANGHANIUS, alter HINGIUS, tertius IUUS cognominabatur. Ab his ergo, quorum operâ cogitabat HIANGYUS LIEUPANGUM reprimere; iste imperio sibi occupando initium posuit, Præfecto ad eam expeditionem usus HANSINIO, egregio belli duce, de quo mox plura, si priùs, quis & qualis fuerit HANSINIUS, breviter explicavero. Quem fortuna velut pilam jactavit, ab infimâ mendici sorte sublatum ad summa, & hinc ad infima dejectum iterum, offerendo mortem ab ijs, quibus ipse saluti fuerat.

HANSINII *fortissimi belli ducis ortus.*

HANSINIO natalis fuit HOAIGAN urbs, quà NANKING provincia Boream spectat, sita. Inibi in tantâ mendicitate erat, ut ægrè vitam toleraret; hamo ad fluvium, cui urbs imminet, quærens victum. Exstat etiamnum illius eo loco monumentum fano perleganti, quod sæpius ipse vidi, ejus in honorem exstructo. Et quia piscatus ei non sufficiebat alimentum necessarium, ab anu quâdam PIAOMUA nomine, coctam oryzam eleemosynæ loco accipiebat. Cui cùm aliquando beneficij memor gratias agens, diceret, *Erit olim fortasse, ut sentias te de me bene meritam fuisse*; tum illa non sine stomacho respondit. *Tibi ipsi*, miser homuncio, *bonus esse non potes; & jam de me cogitas? mihi benignè facturum spondes, quòd stipem tibi præbeam? longè aberras à destinatione meâ, non utique hoc agentis, ut aliquid abs te sperare possim, homine nullius pensi; sed salus regij nepotis, quò Cælum ei servem propitium, est in consilio mihi. Me quidem nondum adeò despexere Cælites, ut opus mihi sit remuneratio tua.* Et certè merito suo iners habebatur & inutilis ad omnia; quia, cùm procero esset robustóque corpore, laboris tamen præ, ut tolerandum, impatiens erat. Et hoc amplius, quod cùm esset ob infamem inertiam puerorum ludus, nil penitùs movebatur. Donec tandem ludibrio non ferendo excitatus cœpit ad se réspicere. Transiens enim publicum aliquando macellum, à puero quodam interceptus & per divaricata illius crura repere jussus est, nisi verba mallet experiri. Cùm bipedum ignaviissimus pueri cederet imperio; magni risus consequebantur. Inde irritatum ferunt, ac similis ignominiæ in posterum fugientem, alienam regionem petijsse. Accidit sub hæc tempora, ut HIANGLEANGUS ZU regis dux, quo de suprà locuti sumus, HOAGIAN transiret cum exercitu. Hîc secutus occasionem HANSINIUS militiæ nomen dedit, in hasta-

Iuvenis inertia.

Dedecore tandem excussa.

torum adscriptus numerum. Pòst ubi per aciem cecidit HIANGLEANGUS, communi omnium clade; HIANGYUM ejus nepotem sequi decrevit. Sed vano exitu; quòd eum, ut ajunt Sinæ, Cælum LIEUPANGO destinaverat. Itaque ad LIEUPANGUM transijt; at paulò pòst officio non sanè magni nominis functus inter milites, in militiæ leges peccavit. Jámque morti destinatus extra castra ducebatur capite plectendus; cùm fortè venientem LACUMIUM militum Præfectum videt. Quem vinctus magnâ voce inclamans, *An non est in animo*, inquit, LIEUPANGO *Imperatori nostro potiri totius imperij? quò spectat igitur hæc tam inconsulta severitas, ut generosos ac fortes milites mori velit, in quibus spes ejus ac felicitas potissimùm nititur?* Obstupuit audaciam constantémque in morte animum LACUMIUS; &, quid sibi vellet ejus oratio, facilè animadvertens, simul & corporis robur virésque considerans, vitæ gratiam ei fecit, variósque cum eo de militiâ sermones miscuit, ut fortasse, quos gereret spiritus, experiretur. In eo colloquio nihil nisi generosum audivit ac plenum prudentiâ militari. Itaque de illo LIEUPANGUM admonet, hominémque dilaudat ad magna natum. LIEUPANGUS longo cum eo sermone habito, vidénsque vera esse, quæ LACUMIUS dixerat, HANSINIUM vnâ ex majoribus præfecturâ donavit. Quo munere fungenti sæpe cum SIAOHOO summo Præfecto erat loquendum; qui ejus dissertationibus ac responsis mirificè delectatus, maximi faciebat eum semper, & admirabatur. Inter hæc milites moræ ac quietis, quam desidiam ignaviámque vocabant, impatientes, exercitum à LIEUPANGO in suo regno tamdiu detineri querebantur. Optabant enim, ut in Ortum ductaret eum, reliquámque Sinam expugnando caperet. Cùm verò nihil proficerent, LIEUPANGO rem differente; multi militum, nec non ducum aliqui, sensim in fugam dissipati, clàm signis illius se subduxerant. Ipse denique moræ tædio victus etiam HANSINIUS, capessivit fugam, de quâ SIAOHOUS certior factus, ipsemet ocyus eum insequitur; ac post biduum assecutus, secum ad exercitum reduxit. Interim suspicax fama vulgavit profugum quoque SIAOHOUM esse. Quod ubi nunciatum LIEUPANGO; tanti viri jacturâ, nimis propensè credulus, magnoperè indoluit, pessimo loco res suas esse jam, obtinendíque imperij auxilium se amisisse deplorans. Sed adest tandem cum HANSINIO SIAOHOUS; quo statim Imprrator ad se vocato fugam lamentatur, etsi ex alterâ parte illius reditu maximè lætaretur.

HANSINIUS *morti reus.*

Evadit.

Emergit.

Fugit otium, ut antè laborem.

taretur. SIAOHOUS causâ suâ fretus, *Ut video*, inquit, *credulitatem tuam, Imperator, falsis rumoribus addixisti. Cælum avertat, ut adeò turpi fugâ, quam impingis mihi, polluam fidem meam! discessi à te, quid enim diffitear? at in consilio mihi nunquam fuit perfidia. Posteaquam nunciatum est mihi, HANSINIUM, ut reliquos fugisse; abfui aliquantisper, sed ut eum ad te reducerem, non ut te desererem, quem instar omnium habeo.* Cui LIEUPANGUS, *Ain' tu verò? non fugiebas? Ecquid hoc esse dicam, quòd, cùm alij multi duces & HANSINIO majores aufugerint, ijs tu neglectis hunc unum sequebare? quis non videt, quàm frivola sit hæc tua fuga, quàm non probabilis excusatio?* Tum SIAOHOUS iterum, *Quos reliquis fugitivis ducibus substituamus, alios nullâ re impares minimè operosum erit reperire; sed quem è toto regno excitabimus HANSINIO parem? Hic unus excellit omnibus; ad hunc profectò comparari potest nemo. Si optas, ô Imperator, crescere, si totum imperium tibi subjicere; HANSINIUM adhibe, sine quo nihil unquam præclarè geres. Cum eo consilia constitue; in quo fortitudo, prudentia, stratagematum usus, & omnia summum tenent. Est ita sanè, ut dicis*, subjecit LIEUPANGUS; *interim tamen copiæ meæ dilabuntur omnes non ob aliud, quàm quòd, cùm ad Orientem Sinam adspirent milites, eos ego in regno meo otiosos detineam. Sed vide, quàm non justa sit hæc conciscendæ fugæ causa? num vos arbitramini me hoc uno regno contentum, hic ignaviâ velle marcescere? Mihi verò perinde ac vobis nihil jam pridem fuit optatius, quàm Austrum Oriúmque armis impetere; tempus opportunum exspectandum erat. Quod simul affulsit aliquando, & hæc militibus expeditio placet; parebo non invitus eorum alacritati. Age igitur, ut ad iter se accingant, edicito.* Vocatum deinde HANSINIUM diligenter de ratione Orientis sibi subigendi gerendíque universè belli rogat. Cùm ad omnia respondisset ille perquam prudenter; eum summæ rerum expeditionique præfecit universæ, cunctis latantibus. Nam & ex cognitâ ejus prudentiâ ac fortitudine dignum hoc honore jam olim sciebant; & eo duce capiebant haud dubium omen victoriæ, magna quæque sibi polliciti. *Militia præficitur.*

Auctus eâ dignitate HANSINIUS, ad LIEUPANGUM gratias acturus accedit ex more. Ibi ad SIAOHOUM Imperator versus, *Multa*, inquit, *præclara sæpe apud me de HANSINIO prædicâsti. Nec ego abs te dissentio, illis, quæ vidi, quæq; audivi, cum præconio tuo planè congruentibus. Optarem tamen, ut ipse, te præsente, quâ ratione bellum*

tractaturus sit. Tunc HANSENIUS, *Bellum nobis est*, inquit, *adversùs* HIANGYUM, *hominem indisertum & ore loquentem rustico* (dicens hoc ideò, quia non bene linguam Sinicam litteratis familiarem callebat, sed illam, quæ propria rusticorum Zu regni erat) *nec aliâ re magis quàm feritate nobilem. Inter homines vivens, quid homini ab homine debeatur, ignorat; & nequitiâ suâ sibiipsi obest. Hominum vel virtutes vel vitia nescit à se mutuò discernere. Fiduciâ sui stolidus, innititur soli sibi; minimè doctus ad aliorum se ingenia flectere, atque ad id, ad quod naturâ feruntur, adhibere. Se unum omnia posse credit; diritate quidem atque immanitate cedens nemini, sed germanâ fortitudine destitutus. Hunc talem non pugnando, sed contrà nitendo solùm facilè superabimus, si viris fortibus & animosis militum præfecturas deferemus. Quos enim non vincemus hostes, si bene meritis præmia proponantur, excludantur indigni? & quis tali rerum statu non libenter sub Imperatore nostro merebit? ergo jamnunc jus, quod habemus in Orientis* XENSI *regiones, omnibus publicandum censeo, ne te aliena velle cogitent. Equus obsistere tam justo tam pio audebit regi, nisi iniquus? Revoca, quaso, in memoriam teterrimi* HIANGYI *facinora; & cum pulcherrimis tuis factis compone. Ille plusquam ducenta hominum millia levissimam aut verius nullam ob causam inauditâ crudelitate uno die delevit;* CHANGHANO, HINGO & IUO, CINI *regni perduellibus, qui soli eum sequuntur, per nefas ereptas tibi terras divisit; urbem exussit, palatium in cineres redegit,* INGUM *suâ manu trucidavit, sepulchra effodit, opes compilavit, insontes interfecit; & quid denique non fecit? Hinc illos nemo est omnium, quin oderit, & adhuc vivos adeò indignantium, ut imas ossium medullas penetret dolor. Hi, si vel tria vexilla tua fulserint, omnes ea sequentur;* HIANGYUM *nemo, quia nemo est ex toto regno, qui eum amet, qui non ab eo sit offensus. Ex adverso recordare, quæ tu egeris. Imperatorem tyrannum vicisti eò fortiùs, quòd vivum servâsti; quam fortitudinem ac pietatem omnes laudant. Palatij splendorem imperturbatum reliquisti; omnes animi moderationem admirantur. Optimas leges tyrannicis abditis induxisti; nemo est, qui te non exspectet ut patrem, nemo qui non expetat ut regem. Quid censes, Imperator? satisne instructi tibi videmur ad tergeminum etiam hostem obterendum? Ego verò, si modò liceat auspicijs tuis ortum petere, tam facilè tres* CINOS *debellatos tibi dabo, quàm manum vertas. Illorum populi tuum exspectant vel tuorum adventum; imò enimverò, quòd tardiùs venias, queruntur.*

Dicì

Dici vix potest, quàm lætis auribus à LIEUPANGO accepta sit hæc oratio. Jámque seipsum incusabat, quòd tam serò cœpisset HANSINIUM noscere. Quare confestim, SIAOHOO ad regni custodiam relicto, Orientem petijt; HANSINIO supremo, ut antè dictum est, militum duce. Qui primo statim impetu tres CINOS vicit ac debellavit; ut idem fuerit, venisse, vidisse, vicisse.

Sed unâ victoriâ non contentum longiúsque procedentem comitata felicitas, ad NANYANG urbem adversum habuit UANGLINIUM ducem, LIEUPANGI civem & patricium; qui cum aliquot millibus ab HIANGYO deficiens cum LIEUPANGO sociavit arma. Quâ defectione auditâ HIANGYUS, matrem UANGLINII exactâ senectute matronam compegit in vincula, ni filius redeat, certissimæ morti destinatam. UANGLINIUS pro summâ, quæ filiorum est in parentes apud Sinas, observantiâ, matri suæ timens, legatos mittit super hac re cum HIANGYO acturos. Captiva non modò cum illis copiam loquendi, sed etiam abeuntes per aliquod spatium comitandi ab HIANGYO impetravit. Promiserat enim ei, se filio reditum persuasuram. Haud longè processerant; cùm jam liberior & meditata perficiendi facultatem nacta, legatos ita secretò affatur. *Quod hactenus comitata vobis fuerim, causa est filius meus, in cujus causâ venistis. Rogo vos, ut à me renuntietis ei, ne* LIEUPANGUM *deserat, sed maneat in fide. De me solicitum esse nolo; ipsa mihi providebo, faciámque, quod anum decet inutilem respublicæ. Hoc unicum votum est meum, ut filius meus* LIEUPANGO *regi serviat justo ac pio, non* HIANGYO *tyranno. Hæc, inquam, filio meo renuntiate.* Et cum dicto proximi legati repentè gladium corripiens, in hunc vi summâ incubuit, séque ipsam transfixit; deletura sanguine suo solicitudinem filij. Mirandum in feminâ, sed non imitandum exemplum!

Mater pro filio captiva.

Seipsam interimit.

HIANGLEANGUS interea, dum LIEUPANGUS Orientis oras sub imperium suum ditionémque subjungit, ut aliquantisper HIANGYI cohiberet arma, ne tribus CINIS esset auxilio; LIEUPANGE nomine litteras ad eum dedit. His significabat illum non aliud armis quærere quàm ut à Zu rege promissas sibi terras recuperet, quæ omni jure ad se pertinebant. Id enim Zuus jam declaraverat. Illas postquam omnino potestatis suæ fecisset, reducto exercitu nihil ampliùs moturum esse. Non enim aliena se, sed sua quærere. Nihil ad ea respondit HIANGYUS. Nec spatium erat maximam proditionem machi-

machinanti; quâ se totius imperij potiturum esse sperabat. Ex quo enim Zu rex LIEUPANGO CIN regnum adjudicaverat; & regi & LIEUPANGO insidias comparare non destitit, ut solus occuparet imperium. Et HAN regnum præsidijs munitum sibi jam detinebat. Relictis igitur provincijs contra Boream jacentibus, KIEUK IANG provinciæ KIANGSI urbem ad Austrum redierat. Eò venientem ad se ZUUM perfidiosè necari jubet; illum ipsum, quem ejus patruus regem Zu fecerat, ipséque Imperatoris titulo paulò antè donaverat. Adeò periculosè Principes faciunt, extollendo subditos ad nimiam potentiam, nisi subinde castigent, ipsis etiam regibus formidabilem. Nam qui sunt hujusmodi, sæpe beneficij ac fidelitatis obliti, non secus ac struthiones ferrum, aliena devorant. Audito tam immani facinore LIEUPANGUS arripuit occasionem bene agendi rem suam; &, ut omnium animos devinciret sibi, tanquam à virtute stans ac pietate, regijs manibus ingenti pompâ, Sinicô more, parentavit. Omnes deinde fidos regis Præfectos ac subditos ad ultionem perduellionis exhortatur, invitans ad se, suásque vires, quantiscunque valebat, promittens. Venirent modò, séque de perfido HIANGYO omnium nomine pœnas diu debitas expetiturum juvarent. Ferendum enim non esse, ut impune abiret, occidisse regem suum. *Statueram quidem*, ajebat, *tradita mihi ditione contentus nunquam inde cedere, bellum alijs movendo, nec alios vexare. Nunc verò* HIANGYUM *armis & viribus omnibus persequi certum habeo. Nam illud bellum, opinor, nemo dicet injustum, quo perduellis in regem suum petitur ulciscendus. Neque vestra in regem vestrum, inque regnum amor ac fides dubitare me sinit, vos omnes signa mea summa voluntate secuturos. Quanquam illa non tam mea sunt, quàm regis nostri, cujus in causâ ea explico.*

Zuus rex à subdito, quem extulerat, occiditur.

Itaque pacatâ jam XENSI provinciâ & usquequaque subjectâ LIEUPANGUS ulteriùs tendit, HIANGYUM rectà petens. Atque ut rectius esset iter ac brevius in Zu regnum; è CHANGLEANGI consilio admirandam illam inter montium amplexus viam stravit è ligno, quinquaginta ferè leucas longam, pontis in modum planam, & ab oppido, cui nomen HANCHUM, adusque SIGAN metropolim pertinentem, cujus pleniorem descriptionem in extremæ Asiæ Atlante dedimus. Il'â tempestate HIANGYUS CI regi bellum moverat, quò per ejus ditionem planius haberet adversùs LIEUPANGUM iter. At LIEUPANGUS ad victoriam habuit prona, quacunque transibat, omnia.

Longissimo ponte junctis montes.

omnia. Jámque illius exercitus in immensum excreverat, quingenta & sexaginta millia numerantis. Cum his ad PENGZU regni urbem pervenit, quæ magno erat ad totum bellum momento. Præfectus urbis sine morâ LIEUPANGI amplexus imperium, deditionem subijt. Annona multa in ea urbe magnæque sunt opes repertæ. Quia verò multarum deliciarum locus erat, hæsit Imperator ibi multos dies; haud expendens, quantùm voluptate virtus militaris emolliatur. Ad hoc curam victori quoque necessariam HIANGYI, cujus exercitus procùl aberat, contemtus, belli semper maximè periculosus, laxaverat; & plerique militum amœnos ad Orientem campos urbi vicinores petierant. Ea res LIEUPANGO propemodum exitialis fuit. HIANGYUS enim de hoc rerum statu doctus, cum triginta tantùm millibus, reliquo exercitu contra CIUM stante, magnis itineribus inopinatò veniens, LIEUPANGI copias latè sparsas ac delicijs marcentes invasit, nullóque repellente vim, in fugam dedit. Dein eodem impetu urbem, in qua LIEUPANGUM esse audierat, aggreditur. Sed admonitus Imperator in tempore, dum HIANGYUS instat fugientibus, illam bene præmunijt. Quare cùm HIANGYUS seriùs admovisset exercitum, quàm expediebat spei suæ; nihilo seciùs eam arctâ obsidione cinxit. Ac planè pertinacibus armis evicisset illam, unde jam de LIEUPANGO conclamatum fuisset; nisi, quod ajunt Sinæ, Cæli decreto servaretur, quod ei destinaverat, imperium. Nam die quádam horrido Aquilone flante sævissima tempestas excita domus quamplurimas diruit, & annosas etiam arbores dejecit. Subterharum unam ad eum usque diem ignotam patuit via subterranea, quam Imperator cum suis ingressus, confectis aliquot stadijs, æmuli manus evasit, ejúsque beneficio tandem incolumis ad YUNGYANG amicam urbem pervenit; ubi cum suis erat HANSINIUS, fugitivum colligens exercitum. Hîc novos etiam milites Imperator evocavit è XENSI, queîs adjuncto sibi HANSINIO haud paulò majorem quàm erat antea, exercitum confecit.

Delicia militum perniciosa.

Sub arbore via subterranea.

Postquam è civibus cognovit HIANGYUS, LIEUPANGUM, quem unum quærebat, evasisse; fremens irâ, celeriter quoquoversum dimisit, qui vijs omnibus intercluſis eum comprehenderent. Sed in cassum cecidit omnis labor. Denique comperto eum ad YUNGYANG cum potenti exercitu esse; protinus omnes suos milites è CI regno revocat, &, ut erat audax & intrepidus, magnis itineribus eam urbem

petit. Adventantem fortiter excepit LIEUPANGUS, apertóque Marte, quà urbs adversùm habet Orientem, cum eo conflixit. Magnâ utrinque contentione, sed Marte dubio pugnatum; donec tandem cedere coactus HIANGYUS cladem, quantam antea nunquam, accepit. Ipse tamen fugâ salutem invénit, ad plura bella reservatus.

Hâc insigni partâ victoriâ LIEUPANGUS, quò faciliùs annona castris importaretur, ingentem fossam ac navigabilem ab urbe duxit usque ad fluvium, utráque ripâ quadratis lapidibus constratâ. Sic enim commodiùs expeditiúsque naves ab hominibus remulco trahebantur, ad quem laborem non equos aut bubalos adhibent Sinæ, cùm est adverso flumine navigandum.

Posthæc ad continuandum securiùs bellum successorem declarat INGUM natu majorem filium, & in ejus obsequium jurare jubet. Huic à consilijs SIAOHOUM in provinciâ XENSI reliquit, ut illam suo nomine regerent. Tum nomen Imperatoris assumens, totum imperium subjicere sibi decretum esse palàm enuntiat; regibus eâ conditione permisso, quo tunc potiebatur quisque regno, ut se Imperatorem agnoscerent. Sin id detrectarent, bellum minatur. Et primò legatum misit ad PAUM GUEI regem, ut viciniorem, eique regnum addixit eâ lege, de quâ primum docui; præterea, ut ad se venerandum ex more adesset, invitans. Se urbem imperatoriam, se sigillum, se insignia imperij reliqua habere. Utrumque recusante GUEIO, res ad arma venit; misso cum valenti exercitu contra eum HANSINIO. Quem LINCINI fluminis transitu prohibiturus GUEIUS, cunctis navibus properè subductis, omnem ei trajiciendi amnis facultatem præripuit; valido insuper cum exercitu custodiens litora. Diu tamen HANSINIUS transitum tentavit; at nequidquam. Interea nihilominus observavit PAUM non agere continenter in castris; sed ad villam stadijs aliquod inde distantem sæpe animi gratiâ secedere. Itaque cùm naves obtinere non posset; magnis arboribus excavatis lintres facit, & obscurissimâ nocte militum manum trajicere fluvium jussit incautúmque in villâ regem obruere. Cessit ex animi sententiâ consilium; eadémque nocte regem in manibus habuit. Nec mora; collectum omnem exercitum sensim sine sensu transmittens, repentino impetu invadit hostem. Qui cùm captum esse regem audirent; omissâ sui defensione terga verterunt. HANSINIUS autem victoriam persecutus paullo momento totum regnum obtinuit.

Captus PAUS GUEI *rex.*

Hinc

Hinc victor YUNGYANG Imperatoris conveniendi causâ profectus, cum eo de subigendis reliquis regnis consilia contulit; copiisque, quas jam habebat, insuper triginta millium numero auctis duo regna CHAO & YEN vel debellaturum se, vel ad Imperatoris obsequium revocaturum promisit. Illis triginta millibus CHANGULUM præfecit; qui olim à CHINYO armis ejectus è regno CHAO, Imperatorem postmodo sequebatur. Sperabat enim HANSINIús eum res præclarè acturum contra CHINYUUM regni CHAO tunc Colaum; quippe cùm & infensus ei esset, totúmque regnum percognitum haberet.

Adventantibus ivit obviàm CHAUS per CHINGUM, quem ei bello cum amplâ potestate præfecerat. Virum acrem egregiúmque ducem, & qui totum CHAO regi suo regnum subjecerat, CINÆ familiæ devictis copijs omnibus, quâ de re suprà in transitu quædam attigimus. Magno præterea generosóque erat animo; nunquam induci se passus, ut in hostem, quæcunque occasio fulgebat, uteretur strategemate, quòd diceret se ducem esse, non latronem. Et neminem aperto Marte timere; nec ad fallendos, sed verâ fortitudine vincendos hostes natum. Hæc animi magnitudo extremâ calamitate illum affecit HANSINIO rem astutè & callidè gerenti denique subjectum. Poterat quidem prœlio suffocare solâ fame HANSINIUM, si LIZOI ducis sui consilio pareret. Hunc enim in modum ei suadebat. *Quò cruentum trahimus bellum, quod facillimè potest ac propè sine armis confici? Nam nec* HANSINII *miles numerosus sanè, jámque victorijs assuetus, quamvis tuâ virtute vincatur, sine sanguine tibi cedet victoriam; & solâ fame superari potest. Absunt à suo regno nunc plus quàm mille stadia; unde non sine summis difficultatibus tanto locorum intermisso spatio suppetet annona tanta multitudini. Sententia mea fert, ut fidum ducem cum triginta militum millibus eorum tergo immittas omniáque intercludas itinera. Neque enim te latet viam per* CINGKING *arctissimam ac longissimam esse, quà incedentibus ob angusta vallium & saxosa montium ordines servare non liceat. Hanc vallem, quàm longè porrigitur, omnem ita fossis insuper impediemus, ut & progressuris impervia sit, & à tergo clausis negata vel ad reditum vel ad annonam aliunde petendam via. Nos interim castris bene munitis nostros continebimus, detrectantes prœlium. Sic malleis inter & incudem positus hostis, extabescensque fame victoriam nobis offeret penè dormientibus. Si placuerit hoc consilium tibi; tum enimverò meum erit nondum elapso mense, salvis tuis*

Chinyus nunquam strategemate usus.

omnibus, HANSINII CHANGULI*que capita ante pedes tuos proji-cere.* Salubre consilium erat, & quod maximè timebat HANSINIUS. Anxius enim hac curâ, militum illam manum ad custodiendam vallem dimiserat, etsi LIZOI consilium prorsus ignoraret. Sed, utut erat, CHINYUUS illud obstinatâ magnitudine neglexit, præterquam aperto Marte non audiens aliam prœliandi conditionem; illud unum ad hostem cædendum sibi satis esse dictitans. Interim HANSINIUS ab exploratoribus, quos apud CHAUM habebat, de LIZOI consilio præmonitus adeò vehementer extimuit, ut reditum eò, unde venerat, meditaretur. Neque enim dubitabat, se, si subsisteret, interclusum iri. Sed hoc consilium solicito pavore versantem de CHINYUI responso nuncius retinuit. Minimè tamen sibi cunctandum ratus, sed acie primo quoque tempore decernendum; ad solitas artes versus,

Stratagema. justissimum ac fortissimum Ducem CHINYUUM stratagemate succussit, in quo uno ponebat spem victoriæ. Itaque rem orsus est in hunc modum. Equitum bis mille sequi se jussis, ad CHAI regis castra propiùs accessit; multis rubro colore vexillis convolantibus. Illic collis accumbebat in hostem pugnaturis perquam commodus; &, quod tunc maximè spectandum, in eo stare poterant, ut hostium extra conspectum essent. Hoc loco illis commonstrato, in castra sua reversus eos sic alloquitur. *Postero manè ante solis ortum locus ille vobis petendus est; ubi latebitis, quoad hostium castra vacua videatis. Tum demum ex insidijs consurgentes illa suggredimini, disjectisque* CHAI *regis vexillis nostra rubra surrigetis. Hoc vestrum erit munus; cetera mea curæ relinquite.* Illi hoc se facturos recipiunt, sed non sine risu. Quo enim pacto die sequenti vacua hostium castra nanciscerentur? Tunc HANSINIUS, *Quo pacto*, inquit, *vacua sint futura, vestrum non est modò scire; tantùm meminisse vos jubeo, partes vestras esse, ut ea ingrediamini.* Quibus dictis ducem eis assignat virum fortem atque magnanimum, ab se jam edoctum de eo, quod facturus erat, nemine præterea ejus rei conscio. Sub mediam ergo noctem omnes corpora curare jussos, dein ad demonstratum locum reduxit. Illic imperatâ eis mansione, ipse ad exercitum redijt, ac decem militum millia duos inter amnes, qui continentem in arctum compellunt, posuit. Simul, quid eis agendum, docet; imperatque, ut inibi divisi duas in partes in ambabus ripis sederent armis instructi. Tum ubi se fugientem reliquo cum exercitu viderent, transitum sibi per medium darent; sin hostes

insequ-

insequerentur, ut se in medium recepto tantisper illorum impetum sustinerent, dum suos in ordinem redigeret. Hoc enim consilio se fugam simulaturum, rerúmque facie mutatâ obviàm iturum instantibus. His in hunc modum constitutis, summo manè ac priusquam luceseceret, cum reliquis copijs, sine strepitu ac mutis instrumentis castrensibus non procùl ab hostium castris transibat. Quem alij quidem prœlium poscere autumabant; CHINYUUS verò credens eum fugere, suos optimè compositos & instructos educit è castris, HANSINIÚMque vi magnà invadit. Non diu pugnatum; & HANSINIUS de comparato consultóque terga vertit, &, quoad ejus fieri potuit, servatis ordinibus properat ad illa decem millia, quæ latebant in insidijs. Non dubitabat ampliùs de victoriâ CHINYUUS; & fugientes ad internecionem deleri posse credens, audacissimè insequitur. Sed ecce! cùm ad angustias venit illius loci, quem insidebant HANSINIANI; nihil dum fraudis subesse suspicatus progreditur, pedetentim tamen & contractis ordinibus, quòd, quò longiùs procedebant, hòc arctius eis spatium esset. Ut primùm in conspectu fuere; tum decies mille, de quibus dictum, impetum irruentium haud modicè frangunt detinéntque. Interea toto HANSINII exercitu se vertente, atrox utrinque prœlium committitur.

Jámque paulò longiùs à castris aberat CHINYUUS, in quibus præter impedimenta paucósque ad custodiam milites nihil reliquerat. In hos duo millia post collem latentia irrumpunt, ut imperatum erat, castra ingrediuntur vacua, dejectísque vexillis hostilibus inibi sua collocant. Horum omnium ignarus CHINYUI exercitus egregiè atque ut tanto duce dignum, resistebat HANSINIO; & admodum anceps prœlium erat. Sed ubi motum ac tumultum in castris esse audiunt, rubráque vexilla totis castris fulgentia diligentiùs observando vident; non dubitantes, id quod erat, occupata castra, repentè animis concidêre. Hostem à tergo supervenientem timebant. Hinc ingens orta confusio. Nemo jam publicum bonum curare; omnes sine ordine, sine imperio de solâ fugâ, de salute suâ quisque cogitare. Statim ea res advertit HANSINIUM, ut erat astutus inprimis; exhortatúsque suos ad maturandam victoriam, & impetu recollecto atque adeò majore vehementiùs in hostem iterum invehitur. Cadunt miseri passim, aut effusissimâ fugâ salutem quærunt, horrendâ nihilominus cum strage; quippe ad ducenta millia desiderati. CHAI rex ipse vivus in victoris *Magna clades.*

potestatem venit; CHINYUus fortiter pugnando, invictus hucusque miles, occubuit.

HANSINIUS autem ubique fugientium in tergis hærens, omnes trucidari jubet, præter unum LIZOUM; cui nequis uspiam noceret, severè militibus edixerat. Pollicitus insuper ijs, qui vivum ad se adducerent, argenti mille libras. Suspiciebat enim in viro prudentiam, animique robur ac bellandi peritiam singularem; eúmque sperabat ad Imperatoris partes posse traduci. Neque spes eum sua destituit. Quippe milites allecti spe præmij, captum denique, sed reverenter habitum deduxerunt ad HANSINIUM. Quem tanquam civem suum natúque grandiorem, ut mos fert Sinarum, primum ei locum cedens, jussit assidere sibi; tum ut Præceptorem suum veneratus, alloquitur in hæc verba. *Vivum te videre posse primæ felicitatis in loco repono, æstimóque pluris quàm totam vel quantacunque pars ejus ad me spectat, victoriam, quam reportavimus. Spero enim fore, ut abs te multa discam; cujus virtutem atque consilia omnes admirantur. Sed ante omnia ex te duo scire aveo. Primum quo pacto* YEN *regnum obtinere possim; alterum qui* CI *quoque regnum sub imperium subjungam. His enim duobus bellum inferre me jussit Imperator.* Ad hæc LIZOUS, *Optime dux*, inquit, PAUM *regem* GUEique *regnum jam subjugâsti; modò* CHINYUUM *invictum adhuc bello ducem superâsti; &, ad quam laudem adipiscendam alijs ducibus totus haud suffecisset dies, tu ante diem (incredibile dictu, nisi nos testes coëgisset esse felicitas tua) unius auroræ infaustâ nobis luce plusquam ducenta hominum millia occidione deleviſti. Et tu post tam multiplices támque præclaras victorias adhuc meditaris bella? quid tibi cum armis, quorum terrori per totum orbem sparso rex* YEN *ultro cedet? Video tamen esse nonnulla, quæ tibi officiunt ad victoriam; alijs quidem certè solent. Milites tui à pugnâ lassi sunt; ac prædâ opulenti sine dubio quietem aliquam exspectant. Et ingratum eis erit fortasse, longiùs à patriâ discedere, regnumque* YEN *intrare recusantibus. Vt nihil dicam,* CIUM *interea suis rebus providentem, quantiscunque poterit viribus ad bellum imminens se paraturum. Adde, quod te minimè fugit,* HIANGUM *capitalem Imperatori hostem denuo cum valenti exercitu adventare; non sanè spernendum progressibus tuis obstaculum. Quod ergo liquet alieno metu consequi te posse; tuis turbatum ibis armis? Non hoc facies, non, mi dux, si te amabis, si me audies. Quid igitur est illud, quod abs te impræsentiarum velim? Primùm, tuis militibus aliqua quies esto, quâ*

fortes

fortes serventur alacrésque ad futura. Dein ad YENEM *legatum mittito, persuasurum ei, ut* CHAI *regis damno doctus Imperatorem agnoscat. Postquam enim ad eum pervenerit fama victoriæ, quâ modò potitus es, fama fortitudinis, quâ præditus es, fama exercitûs, cujus auditum nomen principium est victoriæ; ne dubita, quin ad hanc consequendam cetera futura sint promptissima. Fecialem ergo præmittes metum: qui si nihil efficiet; tum demum vires adhibebis, frustrà dolentibus cogi se facere, quod sponte debuerant.* Paruit huic sententiæ HANSINIUS; nec diu factum, & obsequentiam eventus laudavit. Quippe statim YEN rex in Imperatoris potestate fuit, missisque legatis regnum ei vectigale séque clientem ultro fecit.

His victorijs lætus Imperator, multùm tamen adhuc HIANGYI, potentiâ solicitabatur. Ille namque occiso ZU rege suóque, per quosdam Præfectorum fidiores, & affines totum illud regnum occupaverat, potentissimum, Australes provincias omnes ferè complexum, amplitudine præterea, militúmque ac populi frequentiâ cunctis Imperatoris viribus superius. Eapropter Imperator audiens illum nova parare bella; non immeritò curas in eum omnes intendit. Erat inter Imperatoris consiliarios Philosophus quidam CHINPINGUS nomine, quem ex infimâ pauperie, ob doctrinam ac prudentiam Imperator ad magnos honores evexerat. Hic, ut acutissimi erat ingenij, tale subinde contra HIANGYUM consilium dedit. HIANGYUS, *quod scio*, inquit, *est homo inquies, pervicax, insolens æquè ac perfidus. Quæ tamen artes, tantum abest, ut ejus potentiam infregerint, ut eam potiùs firmâsse videantur. Sed nimirum in Præfectorum fide constat ejus felicitas*; AFUI, *dico*, CHUNGNANII & LUNGCIEI. *Quare nobis impensè laborandum est, ut vel hos ad nostras partes sequendas alliciamus promissis; vel, si hæc neglexerint, apud* HIANGYUM *in infidelitatis defectionisve suspicionem vocemus. Quod si cui difficile factu videbitur; id ego munus pro Imperatore meo mihi deposco. Etsi enim negotium istud multis difficultatibus circumseptum esse video; una tamen ad id expediendum saltem non erit difficilis via. Quænam illa? præceps* HIANGYI *ac varium ingenium; & præcipuè, quia parùm jam suis fidit. Multos ad te defecisse videt, exceptósque perbenignè. In summâ, pecuniâ, cui omnia parent, opus est mihi; quam si accepero, rem ad exitum, qualem optas, adductam tibi dabo.* Probavit hoc consilium Imperator, ejúsque fidei acquiescens, argenti librarum quadraginta millia tribuit,

Prudens & astutum consilium.

tribuit. Hinc CHINPINGUS ad illos tres Præfectos cum muneribus certos homines de negotio bene doctos mittit, eósque jubet in hunc modum alloqui. *Multa sunt à vestrâ fortitudine ac fide in* HIANGYUM *profecta merita; quels longè minoribus magnum esset apud Imperatorem pretium, magni honores. Ab* HIANGYO *vero debita vestræ virtuti præmia nec accepistis adhuc, neque in posterum accipietis. Quid enim? an scissurum putatis eum regnum suum, ut vos creet regulos? Ne lactate spe vos tam inani; néve ab illiberali, nec pecuniæ tantum, sed dominationis etiam nullum consortem passura cupido regni partitionem exspectate. A nostro eóque solo Imperatore dignitates hujus fastigij sperare vobis licet, liberalissimè suos remunerante. Cujus rei documentum si fortè quæritis; en! tribus vobis* ZU *regnum universum promittit dividendum, si deserto* HIANGYO *ad se transeatis.* Hæc summa legationis erat. Haud ignorabat interea CHINPINGUS, HIANGYO Præfectos verò fideles esse, neque pollicitationibus constantiam eorum labefactandam. Neque adeò tamen occultam esse voluit hanc legationem CHINPINGUS, ut HIANGYUM lateret; imò enimverò, ne lateret, id maximè spectabat. Nec eum spes sua falsum habuit. Ex eo namque tempore Præfectorum HIANGYO formidolosa fides esse cœpit. Auxítque suspicionem alia CHINPINGI major astutia; cui materiam AFUUS primo apud HIANGYUM loco dux fortissimus idémque nobilissimus præcipuam suppeditavit. HIANGYUS enim, dum hæc fierent, collectis magnis iterum copijs bellum resumsit. Itaque, ut ad omnes erat occasiones promtissimus ingenio, fingens aliò se tendere, repentinâ obsidione YUNGYANG urbem obsidet. Imperator, obsidionis causa, cum paucis in urbe morabatur; quem proinde adegit adeò, ut secum de pace tractaret. Jámque in eo res erat uti divisio Sinico imperio pacem componerent. HIANGYO provincias ad Austrum omnes, Imperatori autem non nisi ad Boream jacentes pacta destinabant; impositâ præter hæc isti conditione, regibus ne moveret bellum. Sed in tempore CHINPINGUS ad suas artes versus, coëuntia in Imperatoris perniciem fœdera dispescuit; AFUO penitùs ab HIANGYI partibus avulso. Id contigit in hunc modum. CHINPINGUS missos certos homines quasi de pace per eos acturus, ad HIANGYI tentorium rectà properare jussit, cum muneribus ac mandatis, ut regem solito debitóque ritu excolerent; at quamprimùm in HIANGYI conspectu essent, se non ad ipsum, sed ad AFUUM mis-

Astus militaris.

sos esse dicerent. Et habuere destinata successum, AFUUS quippe, licet insons, iniquâ perfidiæ suspicione percussus, at sceleris conscientiâ intactus, HIANGYUM convenit, & in fidei suæ testimonium urbem unius horæ spatio capturum se pollicetur. At jam deleverat fidem AFUI, fide sæpe superior, in HIANGYI mente suspicio, timentis, ne cum suis ille deficeret ad hostes. Eapropter AFUUS copijs suis omnibus HIANGYO traditis missionem petijt; indignatus ei servire, qui sibi non fideret, néve pejora cogeretur ab HIANGYO, qui potens iræ non esset, experiri. Postquam impetravit, quod petierat, tum ad amicos, *Cui debeatur imperium*, ait, *jam Cælo decretum est. Quid ergo frustra laborem? ad meos me cives recipiam, in quiete reliquam ætatem acturus.* Sic AFUUS ab HIANGYO discessit; at, quò tendebat, haud pervénit, in itinere vel mœrore, vel veneno potiùs exstinctus.

AFUI discessus HIANGYUM inter & Imperatorem pacem distraxit; unde continuabatur urbis obsidio. Jámque PUNGIUENUS Imperatoris dux provinciam HONAN ingressus, oppida Zu regni septendecim ceperat eo animo, ut HIANGYUM ab obsidione revocaret ad defensionem regni sui. Sed ille, cui petebatur unus Imperator, non jam de regno laborabat; eo vel capto vel necato, etsi amisisset etiam reliqua, facilè se recuperaturum sperans. Et sanè summis Imperator in angustijs erat; neque solvendæ spes obsidionis ulla promittebatur. Quippe illius exercitus auxilio tum adesse non poterat; HANSINIO Boreæ plagis infestandis longissimè distante. Actúmque adeò de Imperatore jam fuit, nisi KISINIUS ejus dux ante omnes fidissimus, tunc obsessæ Præfectus urbi, voluntariâ morte Imperatori patefecisset ad salutem & effugium viam. Videns enim HIANGYUM in obsidione durare pertinacissimè, nec ab HANSINIO tam longè agente suppetias exspectari posse; salutem Imperatoris in solâ fugâ posuit. Hoc itaque cum validissimâ equitum manu ad occidentalem urbis portam aliquantisper stare jusso, per obversam Orienti portam interim egressus ipse cum HIANGYO de deditione transigit, eúmque per eandem portam in urbem admittit, pollicitus Imperatorem ei se traditurum. Exsilijt omnis ad hanc famam gaudio HIANGYI exercitus; ac statim quisque primus ad prædam, ut fit, ingressum per eam portam, quæ patebat una, distans ab occidentali plusquam leucâ, tentare cœpit. At Imperator interea cum equitum manu per illam portam effugerat, Quem HIANGYUS urbem ingres-

Kisinius dum bellè Imperatorem servat.

sus cùm imperaret ex promisso sisti sibi; KINSINIUS haud minùs candidus erga hostem, quàm erga dominum fidelis, eum clandestinâ fugâ salutem quæsijsse respondit. Quo audito fremebundus iraque præceps HIANGYUS è vestigio KINSINIUM, ut consilij autorem, comburi vivum jubet.

Exitio suo.

Mox intactam urbem relinquens, cum exercitu fugientem, quantis potest itineribus, Imperatorem persequitur. Ac parum abfuit, quin eum ad exercitum HANSINII rectà tendentem assequeretur. Præterquam enim, quod instaret illi velocissimè; ad CHINGCAO insuper urbem itinere breviori pervénit, è quâ paulò antè Imperator exierat. Illam HIANGYUS primo statim impetu expugnat & Imperatorem, quem, iterum delusus, audierat in eâ latere, diligentissimè inquirit. Tandem ubi pro certo comperit, Imperatorem evasisse denuo; impotens iræ, tantùm non seipsum dentibus & unguibus dilaniatum ibat. Non est ausus tamen cum defatigato, nec integro exercitu progredi ulteriùs; timens etiam HANSINIUM, quem jam adventare cognoverat. Eapropter sequentem militem exspectabat; omnibúsque collectis copijs HANSINII stratagemata fugiens Zu regnum repetijt, PUNGYUENUM ejecturus inde, qui multa inibi loca felicitate armorum sua fecerat. Ita re infectâ coactus est in regnum suum redire; magnâ ex parte jam non suum. Sed nos ad Imperatorem redeamus.

Ille sub auroram veniens ad HANSINII castra, ubi cognovit & HANSINIUM & CHANGULUM adhuc indulgere somno; militibus imperat, ne quis eos expergefaceret. Eorúmque tentoria solus ingressus aufert præfecturæ sigilla, datáque operâ stationes militum ordinémque permutat. Expergiscitur inter hæc CHANGULUS prior; quem pigritiam suam excusaturum Imperator amicè compellans, *Quæso te*, inquit, *ut te plùs dormitum recipias. Scio te fessum; excubias ego pro te agam. Nec polluam tamen majestatis decus, etiamsi præposterо in speciem obsequio miles fiam subditi mei; quippe in quo sublimior majestate virtus elucet.* Hoc tam amico modestóque dicto ex eorum animis (nam & alter experrectus aderat) omni absterso metu, suam ignaviam erubescentes ad alacritatem traduxit. Cognito dein HIANGYUM Austrum repetere; quòd nihil admodùm esset, cur posthac eum haberet in metu, CHANGULUM cum parte exercitûs ad CHAO regni jam armis recuperati custodiam misit, HANSINIO cum reliquis

quis copijs jusso contra CIUM tendere. Nam ex ijs qui ad Boream regnabant, unus hic rex erat, qui LIEUPANGUM nollet Imperatorem agnoscere.

Cùm HIANGYUS in Austrum adversùs PUNGYUENUM iret, ZAOKIEUM urbi CHINGCAO, quam ceperat, cum valente præsidio imposuit, severè mandans, ne illinc excederet unquam ad prœlium, si quod imperatoris exercitus fortè posceret; sed tantùm ut oppidum bene muniret ac tueretur. Hoc faciebat eo consilio, ut Imperatorem inibi teneret, donec è Zu regno PUNGYUENUM in totum exegisset. At Imperator nondum à suis peti volebat Austrum; ne gentes, quæ ad Boream incolunt, necdum usquequaque subjectæ vel quietæ, turbarentur. HIANGYUS autem progrediens ad VAIHOANG urbem, quæ prima defecerat è Zu regno, devénit, ac post paucorum dierum obsidium cepit. Hanc, quia prima erat, quam recuperavit è rebellibus, funditus delere decreverat; in unam triste documentum daturus, quo reliquæ saperent omnes. Sed ab ejus civitatis puero quodam annos nato non ampliùs tredecim placatus, abstinuit à maleficio. *Quod te minimè latet*, ajebat puer, PUNGYUENUS *urbem nostram artissimâ obsidione pressit; nec obsisti à nobis ei poterat. Cùm ergo nihil esset, quò nos tueremur; satius est visum experiri victoris clementiam, quàm inutili pertinaciâ vim exspectantes extrema pati. Hæc nobis causa deditionem suasit; te redeunte pristinam quoque libertatem redituram haud ambigentibus. Sin è diverso non regem te, sed hostem habebimus; quid agent civitates cetera? quam fugam pari culpæ, si culpa tamen est, quam necessitas imperavit, invenient? Multæ supersunt adhuc urbes, quæ sub* PUNGYUENI *jugo gemunt, optántque vinci tuis armis. Si tam severè consules in primam; quam ceteris putas reliquam spem salutis fore? imò ultimâ desperatione affecta in te consurgent, inferéntque bellum pacem offerenti, quam nunquam credent à fumante adhuc iracundiâ provenire posse. Magnum omnino, mihi crede, negotium tibi facessent, si pergas id, quod pietate potes atque clementiâ consequi, sævitiâ corrumpere.* His dictis puer ferocem animum delinivit.

Pueri prudens oratio urbi veniam impetrat.

Imperator interea, licèt HANSINIUM contra CI regem jussisset progredi, legatum tamen præmittendum putavit. Is LIEXEKIUS fuit, à quo regnum illi promittebat ac pacem, si se Imperatorem agnosceret, ínque suam fidem concederet, ab HIANGYI partibus amicitiáque discedens. Porrò legatus ita CIUM allocutus esse

scribitur. *Si apud alium, quàm apud te imperij gnarum agerem; habenda mihi longa esset impræsentiarum oratio, atque adeò præteritorum proximè annorum repetenda historia. Nunc summa negotij, quod Imperator meus mihi commisit, in hoc consistit. Ille primus fuit, qui* CINAM *familiam armis antè devictam exstinxit; ille primus imperatoriam urbem occupavit, imperiique signa se penes habuit. In hac felicitate acquiescentem, nemini molestum suóque contentum subegit, imperij commune contra perduellem* HIANGYUM *& quietis impatientem bellum resumere, debitas interfecti* ZU *regis ab eo pœnas expetiturum. Nullâ utique saviendi libidine; quam ab ejus moribus abhorrere longissimè, testes laudare possum, quotquot adhuc ab illo perquam liberaliter accepti, potiùs ejus pietatem experiri, quàm arma voluere. Omnes præterea, quicunque probitate ac doctrinâ excellunt, illum amplectuntur, illius justitiam amant. Ab his artibus, prô Cælum! quàm diversus abit* HIANGYUS? *Hic imperium ambit, hic regis sui parricida est, hic omnem Sinam armis perturbat. Malefactorum quamlibet tenuium memoriam non nisi sanguine delet; meritorum recordatio nulla, quid enim dicam, remuneratio? Hinc invisus est infestúsque bonis omnibus. Et hunc talem tu antepones Imperatoris amicitiæ? ejus inquam Imperatoris, qui victore potentissimóque cum exercitu modò tuum regnum invadens, vim tamen inferre non cogitat, si perduellem, si latronem, si parricidam deseras, & ab optimo Imperatore sine armis vinci velis, hoc est, regnare.* Postquam legatus dicendi finem fecit; respondit CIUS, amicum Imperatorem se, quàm inimicum malle, sub ejúsque imperio se obedienter ac fideliter futurum recepit.

Eodem tempore CI regnum jam ingressus HANSINIUS, istius legationis audito successu reditum meditabatur. QUAICHEUS verò flagrans odio CII regis, HANSINIO callidissimè persuasit, uti promoveret arma. *Quid hoc esse putem*, inquit, *fortissime dux, quòd cogitas redire? Tot itineribus vexatos milites victoriâ, quam habent in manibus, tam inconsultò privas? affectum, imò confectum penè bellum destituis? O te simplicem, si credis rumoribus! an tu solus ignoras sub nomine pacis Imperatorem prævaricatum fuisse?* CII *conatus retinere atque à colligendis militibus eum avertere, finis & causa legationis fuit. Quod si non esset ita; profectò Imperatoris erat, te vel primum vel in primis de pace commonere literísque aut alijs certissimis nuncijs è tanti momenti expeditione revocare. Quid? an illi non pluris erit subactum regnum, quàm promissum & simulatum clientis obsequium? Perge: quo*

pede

pede cœpisti; & Imperatori regnum, tibi nominis immortalitatem felicibus armis comparato. Inductus vanissimâ oratione HANSINIUS bellum prosequitur, infestis armis omnia percurrens, nullo vim repellente; omnibus, etiam ipsâ regiâ ad deditionem pronâ. CIUS deceptum se fremens, LIEXEKIUM legatum illico vivum exuri jubet. Relictâ deinde regiâ, quò provideret rebus suis, in Orientis interiora fugam intendens in urbe, quam CAOMIEN dicunt, incolumis & ab hoste securus egit; collegítque exercitum conferendis primâ quâque opportunitate signis cum HANSINIO. *Legatus occisus.*

Per eadem tempora Imperator ipse cum novo ac potenti exercitu HIANGYUM in Australes oras secutus, ut PUEGYUENO ferret suppetias, postquam ad CHINGKAO venit urbem, obsessam brevi tempore ditionis fuæ fecit. Dehinc rectà QUANGUU & ipsam urbem petijt. De cujus adventu monitus HIANGYUS actutum ei processit obviàm, recedens à PANGYUENO. Ea res illum planè perdidit atque afflixit. Nam ex unâ parte ab utroque exercitu propè interclusus magnâ rerum omnium penuriâ premebatur; ex alterâ verò Imperator abundabat omnibus, quæ ad bellum prosequendum erant necessaria. Non è CHINGCAO jam capta, ubi annonæ ingentem modum repererat, affatim omnia faciléque advehebantur. HIANGYUS ergo suorum vel fugam vel seditionem veritus, cum LIEUPANGO iterum de pace tractare cœpit. Quia verò tunc bellum Imperator, quàm pacem malebat; HIANGYUS in castris aggeratâ lapidum strue conscensâ, in quam Imperatoris avum uxorémque LIUHEUAM unà secum adduxerat, inde LIEUPANGUM altâ voce compellans, *Audi*, LIEUPANGE! *quandoquidem*, inquit, *à pace abhorres; avum tuum uxorémque non multò pòst assatos ad ignem videbis. Utrum vis elige; aut pacem aut cratem.* Imperator ei respondit in hunc modum, *Meminisse te adhuc arbitror, cùm* Zu *regis uterque subditi essemus, amicitiam nos fraterno jure sanxisse. Id si tibi sanctum aquè semper fuisset ac mihi; nostra staret inconcussa necessitudo. Nunc ubi non ego tibi, sed tu mihi prior bellum indixisti, regem tuum etiam perfidè necâsti; non video, quàm tutò tecum redeam in gratiam. Viut est tamen; talem habebis me, qualem voles. Adsis modo, si amicus amicum; sin hostis hostem. Si denique constitutum est tibi, avum conjugémque meam igne tostos, nisi pacem eligam, immolare dolori tuo; sacrificij partem gemino jure saltem unum assæ carnis abs te frustum exspecto.* Damnatur ob hoc dictum magno *Pacis obtrusæ necessitas.*

Imperatori regnum pietate potius.

magno LIEUPANGUS opere à Sinensibus historicis, iniquam etiam pacem, imò ipsius imperij jacturam avi conjugisque incolumitati posthabendam fuisse censentibus. Quippe pietatem primam apud Sinas virtutem, obsequiúmque adversùs parentes natúque majores imperio potius esse debere.

Ceterùm HIANGYUS responso tam superbo irritatus, utrumque destinabat igni; cùm HIANGPEUS pater intempestivam ultionem reprimens, *Sæpe fili, nos eorum pœnitet*, ait, *quæ irati facimus. Quid autem hinc emolumenti tibi, si necem offeras insontibus? fortasse vivi magno imposterum usui nobis erunt.* His dictis HIANGYI patrem verentis ira referbuit. Sed non in totum.

Postero enim die HIANGYUS Imperatorem ad duellum provocavit, internuncio misso; qui ejus nomine sic illum appellare ausus est. *Quousque nostros utrinque cives ac milites vexabimus? & imperium uterque quærentes, funditus evertendo perdemus? Age, si quid audes, si vir es, vel tuo vel meo discrimine bellum provocatus absolve. Alterutrius omnia sunto, qui vivus excedet è duello.*

Irrisit Imperator hominis ferociam; &, *Ego*, inquit, *non copijs meis, sed virtute ac prudentiâ contra te pugno. Hæ decernent, utri nostrûm debeatur imperium; quo te in antecessum insciti imperandi, & quod magis est, scelera tua te privant.* Simul his decem crimina, queis erat obnoxius, insequebatur. HIANGYUS acervo lapidum adhuc insistens, unde audire poterat Imperatorem ac videre, contumeliam non tulit. Iratissimus proin derepentè ballistam majorem, cui ad jactum aptandæ quatuor homines vix sufficissent, solus aptat, & ingenti sagittâ Imperatorem petit. Parum abfuit, quin Imperatori letale fulmen illud esset; in latere quidem gravissimum vulnus accepit. Hic jactus ad effugium HIANGYO viam aperuit. Imperator enim coactus est urbem ingredi; vulnus quidem dissimulans, ne castris metum inferret. Obibátque exercitum incedens lecticæ gestamine, quamvis præ doloris magnitudine vix posset. Interea maximam CI regni partem devictis regijs Præfectis occupavit HANSINIUS. Quare CIUS in summas adductus angustias ab HIANGYO petijt auxilia. Nec defuit ille laboranti; LUNGCIEO cum validâ manu submisso. Jámque uterq; exercitus, & ipse CI rex ad YUNG haud magni nominis amnem pervenerat. Qui tamen amnis hactenus obstabat HANSINII copijs, ut, quà CIUM LUNGCIEÚMque invaderent, nulla esset via.

Ira facit fortem.

Quippe

Quippe medius inter utrumque exercitum fluebat. Ad ultimum HANSINIUS mirabili stratagemate transitum invénit. Id autem erat hujusmodi. Saccos arenâ repletos magno numero, silente nocte in profluentem demersit; queîs decurrentes aquæ magnam partem retentæ, completis longo tractu ripis superioribus, ut erant peraltæ, mirum quantum intumuere. Simul etiam alveus inferior, quantò plus aquarum retroibat, tantò tenuiore fluxu desidens adeò nudavit vadum, ut aliquâ pars exercitûs eò facilè transire posset. Nec mora; vado superato pugnam ciet, in ulteriori litore reliquis militibus, ita ut compositi erant acie, stare jussis. Subinde, ubi pauliſper est pugnatum, recedit ex acie; quem iterum trajecto vado speciem fugæ præbentem LUNGCIEUS cum suis audacter insequitur, eodem impetu fluminis alveum ingressus, ac certus victoriæ. Sed HANSINIUS, cùm pars hostilis exercitûs jam fluvium superâsset, reliqui acervatim sequerentur; signo dato, per funes, ad quos erant religati sacci, eos extrahi repentè jubet è flumine. Tum verò nativæ libertatis compos elementum ingenti undarum mole ruens, quos in alveo deprehendit milites, secum in ruinam trahit, simul transmissam exercitûs partem ab alterâ separat. Hîc invehitur in eos HANSINIUS, integratáque cis amnem acie copias hostiles tantâ strage fundit, ut ne nuncius quidem superstes esset improvisæ calamitatis. Interim aquæ ad familiarem cursum defluxerant; cùm HANSINIUS moram omnem è periculi suspicione damnans, toto exercitu in ulteriorem denuo ripam trajecto pugnam infert hosti; LUNGCIEóque interfecto, CI rex vivus in victoris manus venit. Ita victricia circumferens arma totum CI regnum occupavit HANSINIUS.

Stratagema.

Intelligens autem, quanta in Imperatorem merita essent sua; subactum modò CI regnum optabat ab illo, tanquam victoriarum præmium, accipere jure beneficiario. Mittit igitur ad illum, qui & recentem victoriam nunciaret, exponerétque simul vota sua; quæ mandavit his ferè verbis. CI *regnum adhuc mutabile semper & anceps fuit; variáq; fidei, modò hunc modò illum sequebatur, omnibus indiscriminatim, at nulli constantiùs quàm tempori parere promtum. Quare abs te peto, ut ejus fiduciam mihi committas; quem, ut adhuc tibi fidissimum habuisti, sic fidiorem, beneficiique memorem clientem in perpetuum habebis.*

Imperatori non placuit hæc oratio. Sed CHANHLEANGUS & CHIN-

CHINPINGUS, ut HANSINII postulatis cederet, ei persuasere, *Quid enim?* dicebant; *an non illustre fidelitatis hoc est argumentum, quòd occupatum à se regnum, à te petat loco beneficij? Negabis ei, quod, si per vim retinere vellet, nostrûm auferre posset? Omnino fortis est ac prudens militiæ dux; cujus egregias artes ipse jam sæpius expertus es. Exercitus duci suo par; à quo maximè amatur, intentis insuper ad nutum illius omnibus. Cujus proinde petitioni si annueris; quod reliquum est belli, hujus fide non magno negotio conficies.* Valuit igitur apud Imperatorem duorum consilium; jámque sigillum & reliqua clientelæ necessaria præparabantur. Interea tameo, cùm jam omnes Boream versùs essent subjùgatæ provinciæ, mandat HANSINIO, ut etiam contra HIANGYUM tendat, Zu regnum occupaturus.

Sub idem tempus Imperator legatos ad HIANGYUM misit, avum conjugémque repetens. Usus hac occasione HIANGYUS egit cum Imperatore de pace. Quæ demum ita convénit, ut HIANGYO solæ partes Australes, quæ sunt ultra fluvium HUNGKEU, cederent; penes Imperatorem verò reliqua Sina tota, id est, omnes Boreæ orientíque soli objacentes essent provinciæ. In hunc modum utrinque firmata pax avum Imperatori conjugémque restituit. At ecce! vix eos
Rupta pax. receperat; cum denuo frangit datam fidem, CHANGLEANGO & CHINPINGO instinctoribus. Qui pacem aversati, quamvis essent Philosophi, virtutísque se sectatores ferrent; Imperatoris tamen auribus assiduò bellum inculcabant, neglectâ fide. Quâ de re multùm ab historicis gentis reprehenduntur, ut perfidi ac Philosophorum nomine indigni. Fuit autem hæc eorum ad Imperatórem oratio. *In eo statu sunt modò res tuæ, ut simul in manu tuâ sit imperium. Quod abs te repudiari quis non miretur, pro quo tam diu depugnavisti? Olim incertus, an illud adepturus esses; nunc de victoriâ certus, eam dimidiâ quasi ex parte cum hostibus tuis communicas?* HIANGYUM *armis validum victorémque paulò antè nil timebas; modò quasi jam victum ad conditiones pacis invitas? Muta mentem hanc, quæsumus, Imperator; néve domum ullo pacto per te liceat* HIANGYO *incolumi ac regnaturo revertis. Cave ne usu tibi veniat, quod illis, qui domi parvam alunt tigridem; quæ, cùm excrevit, obliti beneficij, nec dominis suis paret.* His talibus ergo verborum lenocinijs obsequens Imperator pacem rescindit. Visus est tamen haud multò pòst perfidiæ pœnas dare, cùm HIANGYUS exacerbatus irâ eum prope CUXI urbem aggressus, etsi viribus potiorem

tantâ

tantâ clade affecit, ut exinde non auderet solus cum eo manus conserere. Castris ergo bene munitis se continuit, donec, uti dictum, HANSINIUS CHANGULúsque cum omnibus copijs adessent; Zu regnum ducibus, ex æquo dividendum pollicitus, si strenuè dimicantes HIAGNYUM acie superarent. Illi tanti spe præmij commoti, fortissimè invadentes HIANGYUM in fugam avertunt. Hîc virtus HANSINII comprimis enituit. Nam suis abstinere à prædâ ordinésque servare jussis fugientem HIANGYUM pari celeritate persequitur, Ille rectà MAOCHEU petebat urbem, apud quam munitissima castra posuerat. Sed vix illa cum suis intraverat; cùm hæret in tergo HANSINIUS, eáque obsidione claudit. Advocato dein omni exercitu locis opportunis milites disponit, qui omnem undique annonam interciperent; expugnaturus HIANGYUM fame. Sed ille, ut erat fortis animóque magno; pugnando potiùs fortunam iterum experiri statuit. Ita cum HANSINIO signa confert, extra castra suos optimè compositos & instructos educens. A fortissimis ducibus utrinque magnâ contentione pugnatum, ancipitíque Marte; donec tandem HIANGYUS multitudine longè impar & excedere pugnâ coactus castra repetijt, agmine tam compacto, ut ingressu prohiberet hostem. Resumtâ proin obsidione cùm denuo castris incubaret hostis; HIANGYUS ultimis consilijs animum aperuit. Cùm enim exspectaret auxilia, quæ adesse jusserat è Zu regno; ejus maxima pars Imperatorem ultro amplectebatur. De HIANGYO namque jam actum esse persuaserant sibi. Quin & auxiliares ejus copiæ ad Imperatorem defecerant. Noctu enim cùm per castra deambularet, vigilias obiens; è propinquo Imperatoris exercitu voces percepit plurimorum linguâ Zu regni propriâ cantantium. Ea res HIANGYI quamvis constantem animum afflixit; pronâ defectionis & indubitabili conjecturâ. Destitutus ab auxilijs undique, & arctissimè insuper obsessus, ad fugæ, quæ restabat una salutis via, consilium respexit. Tentorium itaque suum ingressus, cum HIA conjuge suâ, præcellentis formæ feminâ, invitans se vino, lætúsque cantare cœpit, eam bono esse animo jubet; sibi modò, ne vivus in hostium potestatem veniret, abeundum. *Ne verò te desertam interim ac sub cultro linqui querare; castra*, inquit, *relinquo permunita, paulò pòst cum ingentibus copijs redituras, ut iterum te videam.* In hunc modum ubi valedixit; HIÆ manibus indutus arma sua, conscensóque equo cum equitum octingentis intempestâ nocte *Fuga regis Zu.*

subitò erumpit è castris, multósque passim trucidando, armatâ manu viam sibi suisque sternit ad hostilem exercitum. HANSINII milites sanè non mediocriter improvisâ incursione turbati, trepidantésque discurrunt ad arma. Unde non pauci sunt etiam ex HIANGYI socijs desiderati. Verùm viam tandem aperuit; & reliquis, quà cuique licuit, effugientibus, solus HIANGYUS HOAI fluminis trajectu, ad UUGUEI devénit urbem, ubi deflectentem à viâ palus excepit. HANSINIUS interea de tumultu doctus ab ijs, quos ex HIANGYI socijs fortuna vivos in ipsius manus demiserat, exploratores quoquoversum dimittit, magnis propositis præmijs, si vel vivum vel mortuum adducerent HIANGYUM. Is in palude nihil præsidij sibi videbat jam superesse, non dubitans ab Imperatoris militibus undique se quæri. Quocirca magno nisu tandem, albescente jam cælo, enisus inde, rectà petebat urbem HOCHEU dictam; cùm ab Imperatoris equitibus duodetriginta invaditur. Quos ubi vidit ille, constitit; &, *Octo jam anni sunt*, ait, *ex quo bella gero; pugnavi septuagies, semper invictus. Et nunc istos octo & viginti lepores timeam? Cælum avertat istud à me dedecus! à quo saltem ut sciat orbis me derelictum, non ab hostium virtute victum fuisse. Cælum tenet, non hostis, manus meas.* Mirum dictu! ab extremâ verbi parte ruens in illos, unus omnes necat. Inde ad UKIANG flu-
Qui 32. unus necat. vium pervénit haud procul HOCHEU labentem; quo navi onerariâ trajecto, tandem exspes vitæ, sic locutus esse fertur. *In eo jam loco constitutus sum, ut & ortum fluvij teneam, & occasum vitæ meæ. Nusquam ullum mihi fidelem amicúmve reperio; plus imò à meis hîc, quàm ab inimicis mihi timendum video. Quare occidentem repetam. Sed fugitivus amicorum atque parentum conspectum ferre quî potero? scio, quid faciam! postquam Cælum desijt favere fortitudini meæ; mori satius est, quàm dedecore tantam gloriam maculare.* Sic abruptâ spe omni caput
Tandem sæ ipsum. ipse sibi stans uno ictu præscidit. Vir fortissimus audaciæque promtæ, sed crudelis ac perfidus; quibus artibus amisit imperium, quod fortitudine ac militari peritiâ facilè obtinuisset. Eo sanè dignus, si, ut militum, sic & civium animos habuisset in potestate. Sed istorum nimius vexator, ab unis militibus amabatur, inque vicem amabat eos quàm maximè. Quorum tamen & virtus & fides denique LIEUPANGI cessêre fortunæ.

HANSINIUS interim castra magnâ vi aggreditur; quorum facilis erat oppugnatio, duce carentium. Victoriâ perquam usus est modestè

modestè, milites necari vetans, &, ut sua signa, si vellent, sequerentur, invitans; sin abire mallent, id impunè licebat. Hac modestiâ sibi devinxit omnium animos, summâ voluntate ad ejus castra transeuntium. Ex quo totum Zu regum ad deditionem pronum, quippe viribus exhaustum usquequaque, jugum accepit. Una Lu civitas vim experiri maluit. Irritatus Imperator eâ civium audentiâ juratò denunciavit, omnes unà cum urbe conflagraturos, ni se quamprimùm dederent. Fortè obiens mœnia cùm non voce tantùm, sed organis etiam musicis cantantes in urbe multos audiret; *Ut video*, inquit, *in hac civitate, quæ tantoperè musicâ delectatur, boni mores vigent; fides inprimis erga regem, à quo ne deficiant, obstinatum est eis extrema pati. Si non est alia resistendi causa; laudo constantiam, juréque jurando rescisso, si velint manus dare, jamnunc polliceor incolumes fore. Utinam tantam fidem in urbibus meis inveniam!* Inter hæc affertur HIANGYI caput; quod, qui eum persequebantur milites forte repertum, hastáque præfixum postquam Imperator ostentavit urbi, statim in ejus ditionem arbitratúmque concessit. Post hæc Imperator HIANGYO solenni pompâ exsequias instruxit; defunctum etiam in patre veneratus, quem ad se invitatum exceptúmque perhonorificè, dynastiâ denique donavit. Præterea, quod est apud Sinas summæ benevolentiæ signum atque honoris, HANÆ familiæ suæ titulum ei atque appellationem impertijt, ut HANÆ dynasta diceretur.

Musica indicium moratæ urbis.

Hoc bello confecto Imperator TINGTAO profectus urbem, HANSINIUM ex promisso Zu regulum tributarium, PUNGYUENUM verò LEANGÆ regem in eodem regno creavit. Tunc HANSINIUS memor eorum, quæ collata fuerant à PAOMUA in se beneficia, cùm in egestate versaretur; eam ad se invitat, argentique libris mille donat. Illum quoque puerum, à quo in urbis HOAIGANÆ macello erat affectus injuriâ publicâ, provexit ad præfecturam, malum beneficio rependens, quod nisi ab animo magno excelsóque proficisci non potest.

Beneficia & injuriæ beneficio compensata.

Indictis posthæc comitijs LIEUPANGUS in XANTUNG provinciam CAOCHEU ab omnibus denuo Regulis Præfectisque agnitus Imperator diademate ornatur. Inde profectus ad LOYANG, præfectis ac militibus instruxit magnificè splendidéque convivium. E quibus cùm inter colloquendum amice percontaretur, ecquidnam causæ putarent, cur à se potiùs, quàm ab alio esset occupatum imperium?

varij variè respondebant, prout quemque vel veri dicendi libertas, vel adulandi vanitas monuerat. Imperator auditis omnibus, *At ego potius sum*, inquit, *imperij non alio magis præsidio, quàm, quòd viros uti sciebam, præsentiens, quod aptum cujusque foret ingenio. Quâ solertiâ mihi longè cessit* HIANGYUS. *Noveram* ZUFANGUM *etsi domo aut tentorio non exeuntem, solâ prudentiâ, melius, quàm ego possim, vel mille stadia distantem acies instruere, parare victorias scire; ad hoc munus eum adhibui. Noveram* SIAOHOUM, *præ quàm meum ferret ingenium, peritum esse regnum firmandi locupletandique, populum in latâ pace continendi, reditus vectigalia sic ordinandi, ut nunquam stipendia, nunquam alimenta deessent; ad hoc munus eum adhibui. Noveram* HANSINIUM *feliciùs quàm à naturâ mihi datum, milites habere in potestate, victoriam obtinere posse; ad hoc eum quoque munus adhibui. Hæc sunt, quæ mihi pepererunt imperium; hi tres, inquam, prudentiâ & virtute præstantes viri mihi probè cogniti, & ad ea quisque munera delecti ad quæ maximè aptos esse non ignorarem. Hujus solertia adminiculo ad fastigium evasi. Et profectò hominum animos cognoscere difficilius est quàm orbem regere, vel in commune sapienter consulere, vel fortiter hostes vincere. In cæteris rebus vinci me ab alijs facilè patiar; sed hanc unam laudem si reservo mihi, nolim arrogans videri.* FANCENIUM *quidem* HIANGYUS *habuit ad quævis aptum; at quia illo uti nesciebat, interijt.* In hunc modum Imperator perbellè suos ac seipsum laudavit.

Lieupangus Imperator rectè ministrorum ingenijs usus.

Inter hæc in regno CI TIENHENGUS quidam, regum sanguis, ab HIANGYO adjutus, aliquoties turbas excitaverat. Quippe semper audaces ac turbulentos homines aluit XANGTUNG provincia. Verùm auditâ HIANGYI morte cum quingentis sociorum maris orientis insulam petijt, litoribus vicinam. Huc mittit Imperator, qui eum ad se vocaret; nisi pareret, extrema omnia minatur. In viam itaque duobus socijs comitatus se dedit; verùm, antequam ad Imperatorem pervenirent, voluntariam mortem omnes præciso gutture sibi conciscere. Quo audito, qui in insulâ remanserant, ad unum omnes in mare se præcipitant, erga dominum suum, quem jam nullum habebant, hac insaniâ fidem testaturi.

Vltronea mortes.

KIPUS autem quidam ex HIANGYI ducibus, cujus non una tantùm in Imperatorem erat injuria, nullum effugium videns desertis militibus, barbâ capillisque præcisis in regno Lu seipsum cuidam CHAO vendidit pro mancipio. Erat CHAUS manu strenuus & bellator

tor bonus; qui dein, ubi KIPUM, non mancipium esse cognovit, misericordiâ motus, illius patrocinium arripuit, & SIEUM Imperatoris Præfectum conveniens, *Quodnam* KIPI *tantum est crimen?* inquit. *Quæ gessit adhuc pro rege suo, in quem nunquam non ejus fides enituit; ejusmodi sunt, quæ procùl à reprehensione, multam potiùs laudem merentur. Ut taceam, postquam Imperator orbem totum solus obtinet, alienum à majestate videri, singulare odium unius hominis ejúsque regi suo fidelis exstinctum velle sanguine. Magnarum mentium est, condonare; quæ non aliàs magis magnitudinem suam ostentant, quàm cùm negligunt oblatam occasionem ulciscendæ injuriæ.* Imperator à SIEO de hac expostulatione commonitus KIPUM vocari jussum ob hero servatam fidem præfecturâ donat. Non eâdem usus est fortunâ TINGKUNGUS alter HIANGYI militum Præfectus KIPI avunculus. Nam hic quidem ad Imperatorem venit, in ejus obsequium séque tradens omnésque copias, quarum ei mandata cura; sed exitio suo, jussu Imperatoris plexus capite. Qui venientem increpans, *Quod suspicione laborat*, inquit, *ingratum est obsequium. Cum his, quos adduxisti, pro duce tuo standum erat tibi. Nunc ubi secus à te factum, nec qui uni domino fidelis non fuit, esse solet alteri; exemplum in te statuam, quod imitandi tui studio posteros non accendet.* Hæc posteaquam acta, tranquillatis toto imperio rebus HIEUYANG, quam sæpius provinciæ XENSI regiam urbem diximus, ingressus, totum inde Sinarum orbem gubernavit.

Fides etiam ab hoste præmio donata.

Perfidia vicissim punita.

At non diuturna quies ista fuit, sparso subinde, quanquam falso rumore, rebellionem meditari HANSINIUM, insidiantem fastigio. Imperator, ut rem silentio ac procul omni turbâ certiùs exploraret; instituit imperij provincias obire, capturus HANSINIUM. Et primum iter fuit ad regni Zu confinia. Ille ignarus calumniæ, nec malè sibi conscius, cum paucis, ut assolebat, ad excipiendum Imperatorem adest, simul & capitur. Quem facti novitate defixum, ubi collegit animum nonnihil à stupore, sic locutum ferunt. *Quæ res hæc hæc est? quæ causa? quæ ratio? Quasi timidum leporem in agro me cepit Imperator. Innocentem nec ullius criminis conscium esse, id mihi fraudi fuit. Quid mirum autem comprehendi obuiam euntem lictoribus? At intelligo, quid agatur. Nimirum rapaces aves omnes exstinctæ sunt, rebelles omnes devicti, regnis & imperio imminentes è medio sublati. Iam arcus remissi, jam hebetatæ sagittæ, jam imperium est sine bello. Quid*

Hansinius capitur.

multa? non eget ampliùs Imperator operâ meâ. Et hoc est illud unum unicúmque crimen; quia bello non ardet imperium, ego flammis dignus sum.

Et absolvitur. Verùm re diligentiùs examinatâ non insontem modò pronunciavit Imperator; sed insuper HOAIGANÆ urbis, unde ortus erat HANSINIUS, principatu excoluit.

Argutè dictum. Tum ex illo sciscitatus, quantum exercitium ei videretur in officio continere posse? cùm responderet HANSINIUS, non plus quàm centum millia; loquendi libertatem demiratus ille, *Tu verò quantas copias credis posse te regere?* Cui HANSINIUS: *Quò plures, hòc meliùs regam; tu verò Imperator, quò plures duces habebis, eò meliùs diriges. Nam in cognoscendis regendisque magnorum virorum ingenijs omnes tibi palmam ex merito concedunt.* Sagaci dicto mirificè delectatum Imperatorem ajunt, in eo quippe placentem unicè sibi, quòd præ ceteris animos hominum felici contemplatione deprehenderet.

Modestia Changleangi. Deinceps Præfectis, qui sibi egregiam navârant operam in his bellis, præmia elargiri cœpit. CHANGLEANGUM LIEU non procùl ab urbe PI distantis Principem renunciavit, adjecturus alia loca, nisi recusâsset omnia, contentus unâ LIEU civitate. Animi porrò sui modestiam his admodum verbis eum explicuisse reperio. *Quid de te meritus sim, Imperator, equidem ignoro; nisi fortè consilio nonnihil adjuvi rempublicam. Ceterùm facta, non perinde dicta majore aliquo digna præmio esse arbitror. Opera mea, quantulacunque fuit, sufficit pretium istius loci tributa dominatio; non alio merito, quàm quòd, ubi te primùm utentem fortunâ tum tenuiore, felix mihi casus obtulit, secutus sim partes tuas.* Hac modestiâ collaudatâ, ceu convenit, Imperator SIAOHOUM deinde ducem creat, maximas ei ZUONIS oras attribuens. Tum CHINPINGUM HUYEN regioni ducis etiam nomine præfecit. Hic eam dignitatem refugiens in UUCHIUM transmovere Præfectum instituit, ut ei gratiam referret, à quo se meminerat infimæ sortis hominem ad Imperatorem olim nomine qualiscunque scientiæ introductum fuisse. Quem nunc affatus, *Optime Imperator*, ait, *si quid egi apud te laude vel præmio dignum; id* UUCHIO *totum debeo. Ille mihi aditum ad te mollivit; absque quo si esset, inops fortunæ perissem.* Imperator hac grati animi significatione lætus, *Bono esto animo!* inquit; *ego non tibi modò, sed &* UUCHIO *propter te multa debeo. Ducatum igitur accipe, quem offero; nec* UUCHIO *præmia sua deerunt.*

Mira modestia in recusando dono.

Liberalitas obfuit Imperatori. Hæc præmiorum distributio exitialis propemodum Imperatori fuit.

fuit. Nam (ut fit, cùm se omnes præmio dignos putant, nec, quod sperant, accipiunt) reliqui duces ubi se neglectos viderunt, in Imperatorem consurgere parabant, eúmque morte multare. Sed CHANGLEANGUS frementes jam ac minas in Imperatorem non obscurè jactantes prudenti consilio compescuit. Suasit enim Imperatori, ut ex ijs unum alterúmve, quorum in rempublicam essent merita spe præmij sine controversiâ minora, quamprimùm remuneraretur. *Sic enim & reliqui digniores, inquit, sibi reservata credent præmia; & saltem in tempus, dum rebus melùs provideas, conquiescet mitigata seditio.* Paruit huic consilio Imperator; & IUNGCHIUM quendam XEFANGO, GOCANUM verò SAPINGO, urbi utrique, principes imposuit; magnâ ceterorum omnium lætitiâ, nec spe minori. Sic periculum evasit Imperator. *Prudens consilium.*

Porrò reputans apud animum suum, CINAM familiam adeò facilè propterea exstinctam fuisse, quia nullos è suâ stirpe reges sibi tributarios fecerit, à quibus auxilium sperare potuisset; (excluserat enim arctiori propinquitate sibi conjunctos ab ejus honoris communione, ut dictum est) inducendam veterem reipublicæ formam sibi duxit. Ergo filium natu majorem, cui KIAS nomen, HINGI; secundò verò genitum HIUNG dictum, qui dein hujus familiæ fuit Imperator à patre tertius, TAI, reges creat. FIUM autem nothum, quem etiamnum adolescens ex obscurâ muliere genuerat, CI regem renuntiavit.

Dehinc statum imperij, jura, leges, aulæque ritus ac cerimonias per XOSUNIUM ordinavit. Cúmque jam se rectè haberent omnia; sexto imperij anno, qui fuit ante Christum natum ducentesimus, iterum comitia omnium Regulorum, Ducum, ac Dynastarum, Præfectorúmque majorum splendidissimo conventu habuit. Ingenti pompâ paratúque illos excepit. Ac tametsi, quicquid in regiâ occurrebat oculis, industriâ XOSUNII ad summam magnificentiam exactum esset; Imperatorem tamen solâ majestate metum omnibus non sine arcano quodam venerationis affectu incussisse ferunt. Ipse quoque tanto suorum apparatu & splendore lætus, *Hodie tandem, inquit, experiri mihi licuit, quanta sit Imperatoria majestas & amplitudo.*

Dum hæc geruntur ac per omnem Sinam recenti pace festísque gaudijs cuncta fervent; ecce TARTARI superato repentè muro magno ad agendum prædas irrumpunt in imperium per XANSI provinciam, ubi nunc TAITUNG est urbs munitissima, Imperator HANSINIUM *Tartarorum in Sinas irruptio.*

Tandem labefactata Hansinij felicitas.

NIUM illis oppoſuit; ſtatímque ad arma ventum. Sed hæſit HANSINII deprehenſa felicitas. TARTARIS enim more gentis equitatu maximè valentibus cedere coactus aciéque victus in urbem MOTEM fugâ pervénit. Ibi à TARTARIS obſeſſus & ad ultimas anguſtias redactus ſuper deditione cum hoſte paciſcitur ſéque urbémque tradens ejus arbitrio. Quâ re cognitâ Imperator ipſe in TARTAROS movet. Edoctus autem ab exploratoribus, illos in valle TAI agere; denuò miſit exploratores, qui de eorum viribus propiùs cognoſcerent. MAOTUNIUS TARTARORUM dux de his inſidijs certior factus, optimos quoſque ac fortiſſimos equites, exercitûs robur in occulto latere juſſit, imbellibus iísque paucis caſtra tenentibus. Exploratores, ut ad Imperatorem rediere, victoriam in expedito eſſe renuntiant; paucos enim ac debiles milites habere MAOTUNIUM. Jámque verſus eò tendebat Imperator hoſtem invaſurus; cùm LEUKINGIUS & ipſe miſſus ad explorandum, redijt, Imperatori ſuadens, ne progrederetur, his verbis. *Etſi nihil apud* TARTAROS *vidi admodum validum, quódque timere debeas; ego tamen haud facilè crediderim, eos tam temerè ingreſſos Sinam. Qui enim ſine viribus* HANSINIUM *debellare potuiſſent, aut imperium noſtrum incurſari auſi eſſent? inſidias timeo, exercitûs robore fortaſſe conſultò latitante; decernendum quidem non cenſeo,*

Bene monentis calamitas.

niſi priùs certiora cognoſcas. Optimè ſuadentem Imperator increpitum etiam perduellem appellat, ut obſtantem, ne TARTAROS aggrederetur. Conjectus quoque in vincula ſervabatur ſupplicio, quod poſt victoriam eum manebat. Cujus ſpe plenus Imperator QUANGUU devictâ TAITUNG ad urbem uſque penetravit. Nondum totus advenerat exercitus; cùm à TARTARIS (quadringenta equitum millia fuiſſe ſcribunt) in PETENGO monte, quà TAITUNG Orientem ſpectat, obſidetur. Quid hîc ageret? quò ſe verteret Imperator? Unum ei reſtabat effugium in muneribus. Hoc enim erat, quod ſemper in beatiſſimâ Sinâ quærebant TARTARI. Promiſsâ igitur ingenti vi argenti, Sinarúmque ſexûs utriuſque copiâ pacem emit à TARTARORUM reginâ, quæ rerum potiebatur; ſimul etiam recepit HANSIMIUM. Tunc exploratores priores omnes necari jubet; LEUKINGIUM verò collaudatum à fide ac prudentiâ ducem KIENSIN creat.

Quia verò tot bellis regia XENSI provincia ferè exhauſta erat, raris indigenis, raris qui agros colerent; tale conſilium ſucceſſu favente cepit. E provincijs omnibus habito fortiſſimorum hominum delectu,

delectu, eis unáque exstinctarum familiarum posteris, quorum bona fiscus invaderet, domos & agros assignando ingentem incolarum agricolarúmque frequentiam concivit. Supra centies mille familias affluxisse scribunt.

Posteaquam Imperator ad CHANGAN urbem pervenit, palatio superbissimè ac splendidissimè ornato ab SIAOHOO exceptus est, haud sine ipsius stomacho. Advertit SIAOHOUM quanquam obscurè prodita indignatio; &, *Imperatoris domus*, inquit, *est totius orbis, ad quem comparatus hic qualiscunque splendor, ut à sole minora sidera, infuscatur, Si tantæ majestati non par assurgat habitatio; minoris illa fiet, ac terroris, sine quo majestatis fulgor hebescit, expers.* Non probant hujusmodi orationem præsertim è Philosophi ore Sinenses historici, ajentes majestatem regibus à pietate ac justitiâ esse arcessendam, ob solam virtutem & prudentiam metuendis: his orbem subjectum ac paventem habituros. Nunquam fando auditum, regem ob insanas substructiones suis formidolosiorem aut pluris æstimatum fuisse. Satius futurum, si nimij sumtus impendantur egentium aliorúmque subditorum bono. Sic demum omnes sui amantes habiturum ac fidos, quibus rebus maxime utitur imperium.

Dum hæc fiunt in hunc modum, TARTARI Boréos tractus novis incursionibus vexant. Quibus malis ut tandem obviàm iret Imperator; misso LEUKINGIO duce cum TARTARIS amicitiam & affinitatem conciliare aggreditur, TARTARI regis filiam uni è filijs suis uxorem expetens. Quanquam Sinicus author hoc loco scribit Imperatorem egregiè TARTARIS imposuisse, TARTARI regis filiâ non suo, sed mancipij cujusdam filio nuptum datâ: indignum fortunâ Sinicâ ducentem, vel ipsius TARTARORUM reginæ connubia Sinam ingenuum inire; multò autem indignius, Imperatoris filium. Est enim ita Sinicæ gentis ingenium, ut omnes nationes præ se nullas putet; de se unâ magnificè altéque sentiat. *Fraus Sinarum in conjugio.*

Imperator prosecutus iter suum CHAO pervenit ad GAUM regem, cujus filio filiam suam uxorem desponderat. Arrham è more gentis dotémque CHAO rex ad Imperatorem præmiserat; sed, nescio quamobrem in ijs mittendis à solenni ritu modóque discessit, aliter quàm exspectárat Imperator. Qui proin iratus, acribúsque verbis in CHAO regem invectus, nec contumeliâ abstinuit. CAUS & YUUS regij Præfecti eâ re offensi, regi suadent, ut Imperatoris apud se commo-

rantis morte se vindicet, læsúmque jus hospitij. Rex verò non modò non eos audijt; verùm etiam de iniquo consilio castigatis silentium imperavit. Non adeò tamen occulta res fuit, quin cuidam CAI obtrectatori veniret in notitiam. Ille CHAO regem CAÚMque criminatus apud Imperatorem odio suo impensè litavit. Captóque rege cùm illius criminis conscij Præfecti omnes adesse jùberentur; mortem crudeliorem timentes, occupavere voluntariam. Uni CAO fides in regem suum constitit; increpanti ceterorum ignaviam, scelerísque societatem fortiter exsecranti. *Si enim nos ipsos occidimus*, ajebat, *quis pro rege nostro stabit? quis Imperatorem de illius fide atque innocentiâ docebit?* Stitit ergo intrepidè sese Imperatori, adhibitâ quæstione fassus ultro datum ab se Imperatoris necandi consilium; sed regem suum illud admittere noluisse. Confessionis istius certior factus Imperator misit alios, qui verum tormentis quærerent. Ibi CAUS suspendens judicum animos? *Quid ago?* inquit; *num pluris est mihi mei regis salus, quàm mea, quàm meorum omnium, quos ob crimen meum certus manet interitus? At enim plus apud me valet veritatis amor, quàm timor privatæ calamitatis, cui me, cui meos exposui. Ego, ego fui, qui crimen hoc admisi; ego cadis consilium dedi. Rex innocens est & usque in vitium Imperatori fidelis & obnoxius? apud quem non fuit locus consilio meo.* Admiratus tantam fidelitatem Imperator & CAUM è tormentis, & regem dimisit è carcere. Hunc tamen è rege ducem jussit esse SIUENPING dictum. CAI verò fortuna provehebatur in sublimius, ad præfecturas etiam patente viâ, nisi seipsum odisset. Tunc enim, *Quòd adhuc vivam*, inquit, *in causâ est vita mei regis, à quâ mea pendebat. Hunc ut insontem, periculo liberum volebam. Postquam id obtinui vel meo periculo, quanquam felici nec adeò pœnitendo; libens tamen nunc latúsque moriar. Nec enim tam exhausto rubore sum, ut Imperatori servire audeam, cujus perduellis audio; nec alteri serviam, si servire non possum regi meo.* Cum dicto spiritum sibi præciso gutture intercluſit.

Captus rex Chao.

Cogitati sceleris confessio.

Mors ultronea.

Ceterùm apud Imperatorem maximè gratiosus erat IUYUS è CIEA concubina, quam ante alias deperibat, filius. Hunc regno primùm CHAO donatum, jam in eo erat, ut etiam imperij successo rem designaret; excluso, quem jam elegerat, legitimo filio. In electionis versæ titulum istius valetudo viriúmque tenuitas prætexebatur. Huic consilio cùm obstarent magistratus omnes & Præfecti, nec exquisitis rationibus quicquam efficerent; unus CHANGUS, etsi ore blæso,

blæso, ut ab incepto desisteret, tandem obtinuit. Qui audito Imperatore, *Indiserius sum ego quidem*, ait, *nec menti lingua paret in ijs, quæ concepit, expromendis; at nunc non modò me naturæ vitium haud sinit ea, quæ vellem loqui, sed etiam ac multò minùs animi commotio, non ferentis, ut Imperator meus tantùm à rectâ ratione deficiat.* Hæc loquens ita verbæ perturbabat, ut vix intelligeretur; istud unum ingeminans, *Hoc scio, non convenire.* Hanc & mentis perturbationem & hæsitantiam linguæ primùm Imperator risit effusissimè; sed ejus pertinaciâ victus, recepit se, quod suadebat, esse facturum. Itaque in præsens, magnâ omnium ac præcipuè LIEUHEUÆ matris lætitiâ propositum mutavit.

Æquitas etiã in blæso disertæ.

Sub idem tempus ad muri contra TARTAROS exstructi custodiam CHINHIUM ducem magno cum exercitu ire jusserat, ex Australibus provincijs evocatum. Hic, cùm ei transitus per HOAIGAN esset, ad HANSINIUM devertit; quem prehensâ ejus dexterâ, remotis arbitris, sic affatur. *Quousque marces, indormísque causæ? Imperium virtuti tuæ debitum an negligis? Fortibus factis & gloriâ militari nemini secundus es; regníque tui milites sunt in armis omnes exercitatissimi. Quos inter, ut olim tuus miles, ita nunc quoque profiteor nomen meum; iturus, quocunque jusseris, sed in Imperatorem ante omnes. An inultam feres contumeliam, quâ te non ita pridem affecit, in vincula conjectum ut perduellem, in quem nec suspicionis cadebat umbra? Mihi crede, nunquam salutis tuæ securus ages, quamdiu, te vivo, tyrannus timet se vivere non posse. Quare magnopere tibi suadeo, ut rebus tuis in tempore provideas. Ego ad murum magnum oppertar, dum aliquid ibi moveas. Si militem contra te miserit Imperator; inibi vacuam* XENSI *provinciam invadam tuis auspicijs. Ita imperium, quod tuæ felicitati, tuis debetur armis, quæq; annexa sunt imperio, in tranquillo erunt tibi.* Non ingrata fuit HANSINIO hæc oratio, sed dolo quàm successu nobilior. De rebellione quidem inter eos convenerat, ac planè actum erat de Imperatore, si latuisset conjuratio. Sed ex HANSINII famulitio quidam rem omnem latens audierat, & ad Imperatorem spe præmij nomen utrisque defert. Præceps tunc ad exitum properabat annus Sinicus; nec ausus Imperator aliquid tentare palàm adversùs HANSINIUM; dolum, quo sine armorum strepitu caperetur, adornavit. LIEUHEUAM igitur mittit Imperatricem cum SIAOHOO specie obeuntis suo nomine Sinam. Cùm transirent HOAIGAN, ubi

Hansinij gloria perfidiæ corrupta.

agebat HANSINIUS, ab Imperatore de totâ re bene docti; adest ille, ut venientem Imperatricem exciperet ex officio, Sinarúmque more fauſtum ei novi anni jùberet eſſe principium. Ibi rei, quæ agebatur, incautus HANSINIUS à fortiſſimis viris in ejus exitium ſubornatis oppreſſus, ſine morâ capite truncatur. Ita tantus vir, cui acceptum Imperator ipſe referebat imperium, tot victoriarum pollutâ laude, perduellis notâ interijt. Imperator inter hæc ipſe cum maximis copijs quaſi TARTARIS bellum moturus contra CHINHIUM ducem tendebat. Hic ubi ſe quæri ab Imperatore, intelligit; hoſtem profeſſis palàm ei reſiſtit. Anceps erat Imperatori diuturnúmque cum illo bellum, accepto etiam luculento vulnere; donec tandem interfectus CHINHIUS ad victoriam hoſti, paulò antè Imperatori ſuo viam perfido ſanguine ſignavit. Sic ingens imperij amittendi periculum Imperator partim prudentiâ, partim fortitudine diſcuſſit.

Obtruncatur.

Quo autem tempore per LEANG regnum ei tranſitus erat; PUNGYUEUS, qui in clientelam Imperatoris ibi locorum conceſſerat, ad illum excipiendum more ſolito non prodijt, impeditus valetudine. Diſſimulavit tunc quidem ille neglectum obſequij; at rediens victor PUNGYUEUM captum deſtinabat exilio, priùs in ordinem redigendum regnóq; privandum. Sed Imperatrici pœna non probabatur quæ ſæviret infra mortem. Quare, ut è medio tolleretur, Imperatori ſuadens, *Impensè vereor*, inquit, *ne te pœniteat haud multò poſt clementiæ tuæ.* PUNGYUEUM *fortiſſimum belli ducem eſſe ſcis; quem offendiſſe juxtà & vitâ donare, quid eſt aliud quàm hoſtem in ſeipſum armare? Nunquam enim odiſſe te deſinet ſemel offenſus; nec antè quieſcet, quàm ultius fuerit exilij probrum, perpetuo rerum tuarum, niſi pereat ipſe, periculo. Quod ut antevertas ejus maturandâ morte, magnopere tibi etiam atque etiam ſum author & hortatrix.* Muliebri conſilio victus Imperator inſontem ac bene de ſe meritum ducem illico necat, ejúsque caput tanquam perduellis, in urbis LOYANGÆ foro ſpectandum facit; illum cum HANSINIO & CHINHIO rebellionis conſilium inijſſe prætendens. Antequam hæc fierent; PUNGYUEUS LUONPUM Præfectum, virum facundiſſimum, legatum ad CI regem miſerat. Is rediens ubi cognovit regem ſuum occiſum, & in eâ, quam diximus, urbe reſectum illius pendere caput; eódem vertit iter, flexísque genibus ante illud tabo rubens, ſuæ legationis exitum, magno cum ejulatu ac lacrimis expoſuit. Id cùm ſignificatum eſſet Imperatori; LUONPUM

Inſontis regis cædes feminæ ſuaſu.

Fides Præfecti in defunctũ.

PUM capi jubet. Qui cùm intelligeret è vinculis ad flammas se pro- *Imperatori invisa.*
protrahendum; in Imperatorem detonuit. *Liceat mihi pauca, quæ si absolvero, lubens moriar. Cùm* LOYANG *inter atque* CHINGAO *ab* HIANGYO *arctâ obsidione tenebaris; absque* PUNGYUEO *fuisset, nec vitam nec imperium haberes. Ille salutem, ille imperium obtulit tibi; præclarè aliàs etiam de te meritus, de quo nihil in præsens attinet dicere. Quid igitur?* HANSINIUM *ab hujus communione laudis excludo? minimè; sed hoc dico, futurum, ut si tales viros nullâ de causâ, nisi fictâ & commentitiâ tam malè tractas, reliqui omnes, quorum virtus tibi suspecta esse potest, sibi timeant, & rebus suis melius, quàm* HANSINIUS *ac* PUNGYUEUS *rex meus fecere, provideant. Quis enim dubitet? quis non videat, idcirco illos à te occidi, quia, quorum virtute ac fortitudine jam non indiges, eos formides? Cave, Imperator, cave, si tibi diuturnum imperium est cordi, ne deinceps in hunc modum savias. Hæc sunt illa pauca, quæ te volebam non ignorare; de cetero facies mecum quod voles, non minùs parato mori, quàm vivere.* Fulminatus improvisâ expostulatione Imperator diu stetit; ubi verò collegit animum, accurrit, solutúmque vinculis LUONPUM ad honores invitavit.

LUONPUM vera locutum mox KINGPUS HOAIGAN rex ostendit. Videns enim Imperatorem fortissimis quibusque ducum suorum necem offerre fictis etiam causis, ne sævitiæ valescentis exemplum ad se quoque pertineret, fortunam experiri voluit, aut interimere certus aut interire. Itaque apertè in Imperatorem rebellis, rectà Boream versùs tendit, intactas nulláque vi tentatas Australes provincias relinquens à tergo. Sed præcipiti consilio seipsum egit in fraudem. Quippe Imperatoris Præfecti, qui curabant in Australibus provincijs, collectis copijs omnem ei commeatum intercluserant; & Imperator magno cum exercitu progressus obviàm, prope KI urbem nil tale prætimentem fudit ac fugavit. Et quamvis KINGPUS excesserit vivus è prœlio; pòst tamen haud multò, quàm nuspiam apparebat, *Nova rebellio.*
quò se reciperet, occursantibus à Borea & Austro copijs, captus & occisus est. Memorant Imperatorem auditâ ejus rebellione sciscitatum à suis, quónam conferret hostis iter suum; cui cùm esset responsum, eum rectà Boream XENSíque provincias petere per montes, Imperatorem dixisse. *Salva res est! cur ipsum timeamus, nil habemus; habuissemus, si provincias Australes invasisset, facturus haud paulò*

majus mihi negotium. Nunc ubi secus ab eo factum; vos bono esse animo, jámque devictum captúmque ne dubitate.

Ex hoc prœlio redux in morbum incidit Imperator; cujus ingravescente vi postquam se vicinum agnovit esse, ne vacuum relinqueret imperium, IUYUNG è CIEA gratiosissimâ concubinâ filium, ejus precibus victus, successorem denuo declaratum ibat. Interceſſere magistratus omnes præpostero favori; docentes, quàm malè succesſisset olim idem audentibus, quantáque inde imperio impenderent mala, sed nullis consilijs aures ejus patuere. LIUHEUA imperatrix pro filio suo maximè sollicita CHANGLEANGUM rogat, excogitaret præsenti malo remedium, haberétque curæ filium suum. Ille rem ex more gerens perité, atque callidè, Imperatricem alloquitur in hunc modum. *Iam agendum est non dictis, queis Imperator non cedit; sed factis. Si tamen audire pauca potes; rei componendæ modus hic occurrit mihi. Quatuor è Philosophis nobilissimi ob CINÆ familiæ bellorúmque motus ac tempestates abdidere se villis, quò tutiùs atq; ab armorum strepitu remotiùs in studijs suis latere possint. Tu tantùm* ING.IO *tuo filio suade vel impera, ut eos honorificis literis invitet ad se docendum; reliqua meæ curæ sunto.* Mox ad illos profectus, de Imperatoris consilio præmonitos rogat, nec hoc onus Imperatoris filium docendi susciperе graventur; hoc enim reipublicæ atque adeò totius orbis interesse. Illi omnia se facturos recipiunt, statímque Principis epistola eis traditur cum muneribus. Quam Philosophi secum ferentes, ad IMPERATOREM adeunt, eúmque monent ab ING.IO se litteris invitatus, libenter, quod ejus pace fieret, quamcunque possent Principi laturos opem. Imperator venerandâ canitie ceteróque Philosophorum cultu commotus, eorúmque nomina scisciatus, *Adhuc*, ait, *optimi viri, meum servitium fugientes in vestris villis latuistis; nullâ vestrâ culpâ, sed meâ. Nimirum ego vobis dignus non eram. Invideo planè sorti filij mei, à quo invitati adestis. Felicior est ille vobis præceptoribus, quàm ego sceptris fui. Sed quo pacto vos invitaverit, scire aveo. Nec enim unquam esse credidi tanti consilij filium meum.* Illi prolatâ epistolâ, *Filius tuus*, inquiunt, *pius est & obsequens, literarum hominúmque doctorum amans. Omnino felix imperium nostrum erit, si tibi succedet ille, à quo totius orbis pendet bonum. Nos sanè, queiscunque licebit artibus eum ad omnem virtutem atque doctrinam informabimus. Sic eum docti omnes amplectentur, & tanquam ad literatorum asylum confugient.* His dimissis Imperator

Idoneo consilio procurata legitimi heredis successio.

CIEAM.

CIEAM concubinam vocat, & INGUS, ait, non quærit imperium; sed imperium quærit INGUM supplicem purpuram offerens renuenti. Quod igitur sæpe promisi tibi, jam præstare non est in meâ manu. Nam ecce! qui sapientiæ laude florent, omnes INGUM dilaudant & amplectuntur; quorum exemplum totus sequetur orbis, ego unus omnibus contravenire nequeo. Hæc locutus INGUM imperij successorem postlimimio designavit, haud mediocri omnium lætitiâ.

Inter hæc etiam SIAOHOUS leviſſimâ de causâ captus ab Imperatore, mortis periculum vix effugit. Salutem debuit Imperatrici; à quâ, ut amicus, inprimis amabatur. Causa verò, quòd adeò repentè gratiâ exciderit, non tam ad aliquod SIAOHOI crimen est, quàm ad antiquum Sinarum morem referenda. Semper enim hoc habuere gentis hujus Imperatores, habéntque nunc etiam, ut nihili faciant subditos suos, tracténtque non secus ac mancipia, quoscunque magistratus gerant gesserintque. Cùm enim imperium omne sit penes unum; fortunarum omnium se, vitæque ac necis dominos esse credunt. Hinc nulla nobilitas, nulla dignitas adeò procedit, ut non pendeat ab Imperatore; nec ulli hominum generi licèt ex infimâ plebe clausus est ad summos honores aditus, Imperatoris unius apertus voluntate. Unde ab omnibus Numinis loco colitur, velut à quo pendeant omnia; validâ in terrorem majestate metuendus. Hinc ergo fit, ut leviſſimâ sæpe de causâ etiam bene meritos exuat summo quoque munere, alios morte multet, eos præcipuè, quorum fortitudo bellique peritia potest aliquando tenui quamvis indicio timeri. Sola meretur indignationem suspicio. Non ignotum id militum ducibus; queîs proinde, præsertim potentioribus, multorúmque militum Præfectis, non minùs est fluxa fides in Imperatorem, quàm in se illius æquitas, è cujus obtritu materiam rebellionis utplurimùm arripiunt. Nam si devictis hostibus militem dimiserint, vix mortem se præsciunt evasuros; ad quam merendam satis est, præclarè fortitérque factis eò perveniſſe, ut timeri queant. Hinc belli temporibus in Sinis audiuntur continuæ rebelliones; & quantò quæque atrocior, tantò audaciùs à quoque, nulla fidelitatis habitâ ratione, cœptatur.

Subditi Sinæ ab Imperatore viliter habentur.

Cùm jam in ultimis esset Imperator, LIUHEUA visens eum, *Scio te uno, optime Imperator & Conjunx amantiſſime*, inquit, *in dignoscendis hominum ingeniis ac naturæ dotibus neminem adhuc prudentiorem fuiſſe. Quare abs te scire aveo, cui post* SIAOHOUM *è Præfectis*

Colai

Colai dignitatem destines. Is enim non diu vivet, utpote senex; & fortasse nostro malo. Tunc Imperator, *Proximus*, ait, *ei* ZAOSANUS *succedito. Post hunc* UANGLINIUS *id munus administrato, dispertità tamen ipsum inter &* CHINPINGUM *potestate. Cave, ne penes hunc unum sit ab Imperatore proxima dignitas. Summa est in illo vis ingenij; rerúmque prudentia nimia, & hoc ipso suspectanda. Super hæc est homo arbitrij sui, nemini cedens, & hinc magis idoneus reipublicæ perturbandæ, quò prudentior. Est omnino maximæ prudentiæ, uti prudentiâ scire, ac sine hujus abusu, alterius magis inniti, quàm suæ sententiæ. Solus quidem difficulter administrabit imperium; sin alium potest pati, quod posse debebit, qui sit illi quasi pro fræno, succedent omnia ex voto tuo publicóque. Nec alium ei facilè parem invenies.* Non multò post hæc verba, prudentiæ plena, ut in loco referemus, moritur LIEUPANGUS Imperator, inter humanæ felicitatis exempla meritò numerandus. Nam per varios casus ad imperium Sinicum evasit à latrocinio; non sanè tam diuturno illius fructu, quàm usquequaque tranquillum id habere cœpit. Cúmque laboraret à nepotum ac filiorum successione; nova tamen ipsius auspicijs Imperatorum familia succrevit HANA dicta, quæ triginta continuos successores habuit. Quam felicitatem etsi rebelliones belláque varia subinde acciderint, imò & ipsius denique imperij partitio; sexaginta tamen supra quadringentos annos & ampliùs imperatoriam dignitatem tenuit, quod deinceps docebimus. Ceterùm LIEUPANGUS à suis prolixè dilaudatur, multas ejus virtutes narrantibus; nullo vitiorum oblæsas confinio, nisi nimium in eo luxum dam[illegible] rent. Quippe magnifici apparatus, vitæque cultus cu[illegible] voluptate in præcipuis ei delicijs erant.

MAR-